DISPVTATIO INAVGVRALIS

De

BARATTA-RIA,

Quam,

PRÆSIDE

DEO TER OPT. MAX.

DECRETO & AUTHORITATE

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ET CONSVLTISSIMI JCTORVM ORDINIS IN CELEBERRIMA ARGENT. UNIVERSITATE,

Pro

Summis in Utroq; Jure Honoribus ac Privilegiis Doctoralibus rite consequendis,

SOLENNI

Eruditorum Disquisitioni submittit

HENRICVS MEIER,


BREMENSIS.


Ad Diem Mens. H. Lq; solitis.

ARGENTORATI

Literis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.

ANNO M DC LXX.





J. N. D. N. J. C.

THESIS I.

PErfecti, quantùm etiam in exulcerato hoc rerum ſtatu fieri poteſt, judicis requiſita delineaturus, quò ejus interventu ſuppullulantia ſæpe litigia mente potiùs æqua, quàm manu iniqua terminentur, & tuta inter improbos ſit probitas, atque adeò unusquisque, quod ſuum eſt, juxta legum ſancita retineat aut nanciſcatur, optimè hæc ipſa momentoſis ſimul adductis rationibus proponit Baldus in *l. 2. n. 10. C. de Sentent. ex brevic. recit. pag. mi.* 251. dum ait: *In mente judicis debent eſſe duo ſales, ſcilicet, ſal ſcientiæ, aliàs eſt inſipida; & ſal conſcientiæ, aliàs eſt diabolica.*

II. Et quidem ut cibus, ſale non conſperſus, inſipidus eſt, & palato ſaporem excitat minùs gratum: ita abſonus exiſtit judex, qui jus ignorat. Hinc Ovvenus *lib. 3. Epigramm. 36.*

Lex ſine rege, velut lumen ſine ſole fuiſſet:
Rex ſine lege, velut ſol ſine luce foret.

Neque enim ſecundùm leges poteſt judicare, qui leges ignorat: & exinde *ignorantia judicis*, inquit Berlich. *de Juſtit. pro Stat. temp. modern. Diſcur. 6. n. 6. calamitas eſt innocentis: Licet,* pergit paulo pòſt, *in multis locis multi non aliter, quàm muta ſimulacra, ſine voce & vita, in ſubſelliis ſedeant civitatis; qui meliùs de loculis & poculis, quàm de moribus & legibus, & aptiùs de fabulis Æſopicis, quàm de tabulis & ſtatutis Civitatis diſſerant.*

III. Juris, quod tamen in Imperatorii pectoris ſcrinio quàm maximè debet eſſe conſtitutum, ignorantiam prodidit

Claudius Cæsar, ſententiam ſuam nimis generaliter proferendo, & obſcurum per æquè obſcurum definiendo, dum ex tabella pronunciari curavit: *Secundum eos ſe ſentire, qui vera propoſuiſſent.* Sueton. *in Claud. cap.* 15. Et Prætor, cuſtos alioquin legum & æquitatis, juris non adeò ſcientem ſe monſtravit in *l.* 37. *pr. ff. de excuſat.* ubi teſtamento tutor datus adito Prætore dixit, ſe tres liberos habere: adjecit præterea, habenti patruum legitimum tutorem, ſe vitioſè tutorem datum: Prætor ita decrevit: *Si legitimum tutorem habenti tutor datus es, non eſt tibi neceſſaria excuſatio.* Hic Prætor verum jus, quo excuſatio tutelæ per tres liberos ſuperſtites Romæ impetratur, *princ. Inſt. de excuſat.* miſſum fecit; & falſum jus, quaſi legitima tutela excluderet teſtamentariam, amplexus eſt. V. Wiſſembach. *ad ff. part.* 1. *Diſp.* 7. *n.* 11.

IV. Satis autem patet, quòd judex non tantummodo jus naturale & gentium, nec non ſtatuta ac mores debeat noſſe: ſed quia jus noſtrum civile Imperiali authoritate in Germania eſt corroboratum, quod per tot ſecula à viris ſummi ingenii, ſummæ dignitatis, & ſummæ experientiæ in Republica omnium florentiſſima limitatum eſt, & limatum, adeoque ſummam ſpirat æquitatem, hoc quoque in judiciis juxta receptos ubique terminos debeat obſervari, ideoque non ignorari. Et quamvis Lipſius paſſim, ut & Savedra *p.* 160. ſicuti quoque præprimis Hippol. à Lapide *in præfat. Diſſertat. de Ration. Stat.* invehantur in legum noſtrarum multitudinem; ipſis tamen reponimus illud Forſtneri ad *Tacit. part.* 1. *p. m.* 264. *Quomodo dici non debet, majores ſemper patronorum advocatorumq; fore fraudes, ſi pauciores fore nt leges, quàm quæ negotiis ſufficerent? Si omne jus in incerto eſſet, ideoq; patronorum diſputationem exigeret?* & paulò pòſt: *Non ægra civitas aut corrupta eſt, quia multas habet leges; ſed multæ ſunt leges, quia ægra civitas eſt.* vid. ibid. plura.

V. Atque hic prior ſal, videlicet *ſcientiæ*, quem Baldus requirit in mente judicis, etſi non perfectè adſit, aliorum tamen operâ poteſt ſuppleri: ſicut in Romano olim Imperio Præfectos Prætorio & Præſides, viros pilo plerumque, quàm ſtylo patriæ aptiores, habuiſſe ſuos aſſeſſores, qui in jure erant verſatiſſimi, ſatis ex jure noſtro eluceſcit. At verò poſterior in judice ſal, qui eſt *conſcientiæ*, quò magis prodeſt aut nocet tum

aliis,

aliis, tum ipsi judici, eò minùs alienis suppetiis adjuvari poterit.

VI. Interim tamen, quantùm & quoties hæc conscientia, quæ ipsius judicis judex est, in judice corrumpatur, & *diabolica* efficiatur, res exemplis non eget, quibus nimiùm proh dolor! abundat. Et ut unum alterumvé tantùm afferamus, quantùm censoriâ virgulâ ab Apolline percutiantur judices illi Græciæ, qui Phrynen, gravissimi delicti ream, nudatis niveis suis mamillis misericordiam eblandientem, hoc crimine absolverunt, eoque ipso conscientiam suam obfuscaverunt, videre est in *Secretaria di Apollo, sub Tit. A' Giudici della Grecia pag.* 392. Memorat etiam Abele *in Metamorph. Tel. Judiciar. part. prior. cas.* 44. quòd Muscoviticus Czar, Jovan Vasilivviz, Demetrio Occinio, uni ex præcipuis suis consiliariis, jam inebriato in salutem duorum suorum Filiorum Principum grandem calicem uno haustu ebibendum propinaverit; quem cùm Occinius ita non posset exhaurire, in cella vinaria interfectus est, & (ut quidam scribunt) diducto ori vino infuso. Ita vinum, cor hominis alioquin exhilarans, vitam Occinii; Vasilivvizii verò conscientiam acerbè contristavit.

VII. Præcipuum verò, quod conscientiam flava bile nimis inficit, & constupratum reddit judicium, ut nunc sunt tempora, est aurum, &, teste Propertio,

Aurea nunc verè sunt secula; plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor:
Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Adducit Farinacius *de var. & div. crimin. q.* 111. *art.* 1. *n.* 2. Joa. Berberium *in pract. part.* 1. *rub.* 13. *de L. Jul. repetundar. n.* 1. *in fin.* qui *credidit, tempore suo paucos reperiri officiales, qui à pœna repetundarum se excusare possint: Quid autem in posterum eventurum sit, solus Deus, qui æterno tribunali præest, novit,* inquit ipse: & *rubric.* 37. *de concussion. n.* 5 & *seqq.* testatur, *suis temporibus nullos concussores judices puniri, licèt plures reperiantur, & quòd propterea deliramentum reputetur, judices de justitia redarguere.* Sanè, ubi ita proceditur, ibi jus, ars æqui & boni, fiet ars equi & bovis impetrandi. Mihi tamen de judicibus no-

 stri tem-

ſtri temporis præſertim in Germania, quoad prius illud Berberii, melior ſubnata eſt fiducia; cùm in dubio præſumptio regulariter tendat in melius, & inſuper iniquitas judicis inferioris per ſuperiora bene inſtructa judicia facilè queat animadverti, & convenientibus pœnis coërceri: quamvis non negem, non omnia ſemper ita perfectè ad amuſſim juſtitiæ eſſe accommodata. *Præſentia & præterita hac ſunt imperfecta, perfecta & plùs quàm perfecta omnia futura*, inquit Autor ille *de quatuor Elector. Secular.* Quoad poſterius illud Berberii, quòd nulli judices hodie puniantur, regeri poteſt illud Antonii Matthæi, *ad L. Jul. repetund c. 3. num. 1.* ubi ſic ait: *Quod de adulterij crimine in Gallia impunito Briſſonius retulit, id idem de repetundarum crimine in Belgio* (adde, & in aliis locis) *dicere poſſes: nempe huic crimini coërcendo non tam judicium & pœnam, quàm accuſatorem deeſſe.*

VIII. Quandoquidem tamen hoc crimen tam ſeveris conſtrictum eſt legibus, & ſi liberiùs graſſetur, magna inde publicis & privatis rebus afferuntur incommoda, nec religioni arctiùs devota conſcientia ſemper in munerum acceptione propter varias Dd. opiniones, quid juſtum, quid injuſtum ſit, diſcernere poteſt: ego in Diſputat. hac Inaugurali *pulchram* (ut utar verbis Farinacii *de var. & diverſ. crim. q. 111. art. 1. n. 1.*) *examinandam mihi propono materiam, & etiam malo noſtræ ætatis fato practicabilem*, videlicet de *Barattaria*, præſertim judicum: ubi tamen paucis etiam legatorum, teſtium, &c. quantùm brevis aliqua diſputatio capit, obiter aſpergam: cùm omnes ſpecies Barattariæ velle perſequi ingentem potiùs requirat tractatum. Ita auté commodè rem exſequemur, ſi primum *Barattariam* theoreticè quodammodo ſimus contemplaturi: deinde magis practicè, quæ in actionibus inſtituendis, foro competenti, modo procedendi ſingularia ſint obſervanda, addituri.

IX. Primum itaque eſt, ut nominis hujus incunabula inveſtigemus. Et quamvis veteres noſtri JCti, ex quibus & à quibus *Corpus Juris*, uti dicitur in *l. un. pr. C. de rei uxor. action.* eſt compilatum, rem hoc nomine deſignatam non ignoraverint; *Barattaria* tamen vocabulum barbaro demum ſeculo aut declinante ſaltem Latinitate in lucem progenitum eſſe, ex eo, quòd apud nullum purioris Latinitatis authorem reperiatur, mihi perſuaſum

ſum habeo. Interim illud apud JCtos poſteriorum ſeculorum habetur, ut teſtatur Menoch. *de arbitr. jud. quaſt. caſ.* 342. *n.* 18. & catalogum recenſet illorum authorum, qui hoc nomine utuntur P. Theodor. *Diſp. crimin. IX. th.* 1. *lit. a.* Quoniam autem (ut gloriatur Pomponius Marcellus apud Suetonium de illuſtribus Grammaticis, referente Wiſſembachio *ad ff. part.* 2. *Diſp.* 25. *n.* 12.) *Hominibus civitatem dare Imperatores poſſunt; verbis non poſſunt*: multò minùs nos hoc vocabulum in album Civitatis Romanæ recipere conabimur: licèt Baldus aſſerat, *vol.* 1. *conſ.* 33. *n.* 2. quòd *leges noſtra non ſubjaceant Priſciano.* Attamen quia hoc vocabulum apud plurimos poſteriorum temporum authores eſt receptum, & unico vocabulo res vix ita poteſt exprimi, neque abſurdum videtur barbaram rem barbaro vocabulo inſignire,

Conveniant rebus nomina noſtra ſuis.

Eos, qui dicam nobis hac de re ſcribent, amandabimus ad Parnaſſum Boccalini, *Cent.* 1. *rag.* 53. ubi, cum in caſtris Grammaticalibus ingens tumultus exortus fuiſſet, ea de cauſa, an, *conſumptum*, an verò, *conſumtum*, debeat ſcribi? in eoque tumultu anteſignani eſſent Manutius & Lambinus: Manutiusque vetuſtiori lapide, cui inſcriptum erat *conſumptum* Lambino naſum perterebrâſſet; Apollo id genus hominum ridiculè & nugatoriè rixoſum è Parnaſſo ejicere conſtituit, niſi Ciceronis & Quintiliani interceſſionibus fuiſſet emollitus.

X. Derivatur Grammaticè *Barattaria* ab Italico *Barattare*, quod eſt, commutare. Compend. del Vocabulario della Cruſca, in voce *Barattare*. Decian. *tractat. crimin. l.* 8. *c.* 33. *n.* 9. quia Judex hîc munus ſuum cum muneribus commutat. Barattare etiam metaphoricè ſignificat fraudare, & ſic Barattaria erit deceptio. Speid. *notab. in voce Baratteria.* Sic Grammaticè: Logicè autem *Barattare* deſcendit à Barattaria. Poſſet etiam Latinè vocari crimen repetundarum, à repetendo pecunias illicitè acceptas: ſed quia L. Julia repetundarum hoc nomen ſibi velut appropriavit; alii verò quoque ſunt tituli, ut *t. t. C. de pœn. jud. &c.* qui de noſtra materia agunt, vocabulum Barattariæ à ſuperiorum ſeculorum JCtis uſurpatum retinuimus. Judex corruptus vocatur Barattarius. *Amedeus de Caſtello. de Syndicat. ab init. n* 164. Ci-

164. Ciceroni is dicitur nummarius judex, qui & nummarium judicium, nummariũ tribunal, scripsit. Decianus. *d. l. n.* 8. nominantur etiam tales *donivori*, & dicuntur proverbio: *fabas edere*, quia olim fabis suffragia in sententiis ferendis dabantur, & ideo fabas edere dicebantur, qui ob suffragia quæstum faciebant. Græcis Δωροφαγία, Germanicè Bestechung. Munera, ut refert Farinac. *d. quæst. n.* 236. antiquo jure dicebantur furta & rapinæ; in jure nostro *sordes* nominantur *l.* 15. *§.* 1. *de Judic.* vid. Dn. Tabor. *de Suffragijs. pericop.* 4. *n.* 18. ubi similiter inquit, per allusionem dicta videri potest Germanica vox antiquior, Gifft pro Gabe quod dona æquè ac venenum accipientes corrumpant, inficiant ac perdant. Sumitur Barattariæ vox vel *propriè*, & tunc significat permutationem: vel *impropriè*, ut hîc, & tunc denotat acceptionem munerum vitiosam. Et ita vel *latiùs*, & tunc comprehendit quoque concussionem, quæ invitis ob potentatum incumbit; vel *strictiùs*, prout nos ferè eam vocem hîc usurpamus, & tum significat acceptionem munerum à volentibus oblatorum.

XI. Definitur, seu describitur *Barattaria* juridicè, crimen, quod committitur ab eo, qui, cum gratis officium suum teneatur impertiri, accipit illicita munera, ut magis vel minùs id exsequatur. Conf. *l.* 1. *& l.* 4. *de L. Jul. repet.*

XII. Dividi potest 1. ratione diversorum officiorum, quòd alia sit Barattaria judicum, alia arbitrorum, alia legatorum, alia testium &c. Nos tamen, uti dictum, præcipuè inhærebimus Barattariæ judicum, de reliquis pauca tantùm delibaturi. 2. quòd alia sit Barattaria, quæ committitur contra Jus Gentium; alia, quæ contra Jus Civile, ut si Legatis, quibus post peractam legationem sub abitu licèt ex Jure Gentium *gratialia* accipere, specialiter sit interdictum jure aliquo, ne etiam hæc accipiant.

XIII. Sciendum autem est, quòd *Barattariæ* crimen plerumque ex Jure Gentium descendat. Et quidem primò in *judicibus* facilè consentiunt authores, quanquam in ratione ex Jure Gentium assignanda varient. Nam referente & non dissentiente Farinacio *dict. loc. num.* 151. Navar. *in constitut. Gregor. XIII. de dat. & promiss. num.* 4. *vers. Tertiò quòd omnia.* hanc desumit ex illo *Matthæi* 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Cui, quò minus

mis possimus subscribere, facit primò, quòd non omnia judicandi munera gratis accipiantur. *In Gallia juriductae & alia munera publica partem patrimonij emtoribus hodie constituunt,* inquit Wissenbach. *ad ff. part. prior. Disp.* 40. *n.* 12. Deinde loquitur Servator noster *d. loc.* ad suos Discipulos, quibus dabat potentiam sanandi ægrotos &c. unde argumentum ad nostrum casum longinquè admodum petitur. Plura adducere superfluum existimo. Mihi videtur proxima & immediata ratio optimè desumi posse ex ipsius Dei Lege, *Deut.* 16. *v.* 19. ubi sic habent verba: *Non accipies ullum munus: nam munus excæcat oculos sapientum & pervertit sermones justorum.* Quo in loco hæc assignatur ratio, quòd judex, licèt alioquin sapiens, licèt alioquin justus, non ita tum æquum & æqualem se præbeat utrique parti: cùm alter ipsius oculus, quo muneribus corruptus ab actore reum, vel corruptus à reo actorem debuisset respicere, sit excœcatus, indeque eveniat, ut neutro oculo justitiam respiciat, & ita pervertat quoque suum in ferenda sententia suffragium. Hæc enim fuit necessitas constituendorum judicum, ut suum cuique tribueretur: &, ut hoc obtineatur, oportet, ut judex non plùs uni faveat, atque alteri, ac, quemadmodum Pontifex loquitur in *c.* 1. *de Sent. & re judicat in* 6. *stateram gestet in manibus, lances appendat æquo libramine.* Confer. Hobbes. *de civ. cap.* 3. *n.* 21. *&c.* Jam, ut dicit Angelus in *l.* 2. *ff. de condict. ob turp. caus. Si totus mundus veniret, non posset credere, quòd, si una pars det, & alia non, judex danti non sit naturaliter favorabilior. Imò non dans habebitur aliquali odio; &, si aliud non faciat, judex saltem aliquandiu stabit, & instruet dantem, & ei dabit gratiosas dilationes, & parti non danti nocivas.* Quorsum non incommodè spectant Rythmi Germanici:

Besser ist Gunst in Judice,
Als Recht und G'satz in Codice:
Hastu ein Handel modicè,
Mit Gab erschein magnificè,
So wird nun honorificè,
Dein Sach und bleibt nicht modicè.

Conf. Abeles *Metamorph. Tel. Judiciar. part.* 1. *cas.* 15. Quod ipsum studium partium, vel etiam ejus saltem præsumtionem esse in

testibus, legatis &c. suo modo causam prohibitivam Barattariæ, itidem autumo.

XIV. Hanc Juris Gentium prohibitionem suscipiunt, & ulteriùs confirmant Jura positiva. Quæ ipsa ex Jure Civili & Canonico uberiùs per totam hanc Disputationem adducta videbuntur. Obiter notari possunt ex jure jurando, quod in *Nov.8. tit.* 3. præstandum iis præscribitur, qui administrationes accipiunt, hæc verba: *Purè me exhibebo circa subjectos pijssimorum nostrorum Dominorum, contentus ijs, quæ statuta sunt mihi de fisco, annonis. Si verò non hæc omnia servavero, recipiam hîc & in futuro seculo in terribili judicio magni Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, & habeam partem cum Juda, & lepra Giezi & timore Cain &c.* In Ordinatione Camerali, *part.* 1. *tit.* 57. tale juramentum præstandum Dn. Judici & Dnn. Assessoribus præstituitur: Es sollen auch Kammer-Richter und Beysitzer / ein jeder / zuvor und ehe er auffgenommen wird / einen Eyd zu GOTT und auff das H. Evangelium schweren x. Dem Hohen und Nidern / nach seinem besten Verständnuß / gleich zu richten / und kein Sach sich dagegen bewegen lassen: auch von den Partheien oder jemands anders keiner sachen halber / so im Gericht hanget oder hangen wurde / kein Gaab / Geschenck oder einigen Nutz / durch sich selbs oder andere / wie deß Menschen Sinn erdencken möchten / zu nemmen oder nemmen lassen. Simili modo jurant quoque Assessores Judiciorum Provincialium in Saxonia Lipsiæ & Wittebergæ alibique. Dn. Struv. *Dissertat. crim.* 10. *th.* 15. *Sic Senatores Provinciæ Ultrajectanæ vetantur art.* 11. *tab.* 1. *instruct. cur. provinc. ulla, quantulacunque sint, accipere munera, à litigatoribus eorumvé procuratoribus.* Anton. Matthæi *de criminib. lib.* XLVIII. *Dig. tit.* 8. *c.* 3. *n. ult.* Ita quoque in hac celeberrima Argentinensium Republica juxta Authenticum, quod consueto die Juratorio publicè ante Ædem majorem Civibus solet prælegi, juratur: & verba d. Authentici huc facientia apud Limnæum, *de J. P. lib.* 6. *c.* 3. *p.* 67, ità se habent: Die obgemelte Constoffler / nemblich die von dem alten Räth bleiben / und die auff den ehe genanten Donnerstag zu morgen zu ihnen gekossen werden / daß seynd zusammen Zehen Constoffler / darzu die ehe genandten Zwantzig von den Handwercken / nemblich Zehen von dem alten Raht / und Zehen / die auff denselben morgen zu ihnen gekossen werden / die

sollen

sollen dann das Jahr die Räthe seyn / und mit dem Ammeister angehen in der massen / als gewohnlich ist / und sollen auch alle schweren leiblich zu GOtt / alle die Puncten und Artickul / so von ihnen geschrieben stehen / steet zuhalten / auch alle dieweil sie deß Raths seynd / keine Schenck / Mied noch Mitwon zu nemmen / und welcher die nehme / oder jemands von seinetwegen / der soll Meineydig seyn / und wo Meister und Rath / die dann zu selten seynd / befinden / daß es geschehen were / die sollen es richten bey dem Eyd / als nach besag der Ordnung in der Fünffzehen-Buch geschrieben. Es soll auch der Ammeister / der dann zu einem Ammeister gekosen wird / schweren leiblichen zu GOtt auch keinerley Schenck / noch Miedwohn zunemmen / weder lützel noch viel / klein noch groß: ꝛc. Plura adhuc videri possunt apud Dn. Taborem, *de suffrag. pericop.* 4. *n.* 19. Bremæ item, quæ mea mihi Patria est dulcissima, noviter introducendos Senatores memini jurare, quòd non velint judicare secundùm dona & munera. Nec credo facilè reperiri ullam bene ordinatam rempublicam, ubi ejusmodi jura non inveniantur. Quin imò & partes tenentur in juramento calumniæ jurare, quòd nec judicem, nec testes pecuniâ aut aliis muneribus corrumpere velint, ut tradit Magnificus Dn. Rebhan, Facultatis Juridicæ Venerandus Senior, & p. t. Decanus, Præceptor, Patronus, & Hospes meus Patris instar colendus, *in Hodoget. Jur. Chart.* 2. *Clim.* 4. *n.* 26.

XV. Causæ principales Barattariæ sunt personæ offerentes munera, & ea accipientes. Sic Pompejus pro Socero Scipione reo ambitûs judices corrupit. Plutarchus *in ejus vita.* A Clodij amicis *judices in causa Clodiana manifestè corrupti fuerunt: cùm tamen, ut viderentur severiùs velle judicare, præsidium à Senatu impetraverant: in quos dicterium illud Catuli, eos auxilium Senatûs imploràsse, ne pecuniæ illis datæ eriperentur*, ex Cicerone commemorat Decian. *tract. crim. lib.* 8. *c.* 35. *n.* 43. *&* 44. Offerentes verò personas illas intelligimus, quæ sponte offerunt, *arg. l.* 1. *C. publ. læt. vel conf.* Mynsing. *obs.* 15. *n.* 1. *cent.* 2. Paris de Puteo. *de Syndicat. pag. m.* 94. *n.* 5 Nam si ab invitis extorqueat quid judex, concussionis crimen incurrit. Conf. Dn. Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. XLIIX. th.* 92. Neque ea, quæ sic extorquentur, munera dici merentur. Offerre etiam intelliguntur, qui promittunt, *Auth. Novo jure. C. de pœn. jud. qui*

mal. judic. Menoch. *de Arbitr. jud. quæst. cas.* 342. *n.* 28. Imò qui solùm tentant corrumpere, etsi, dum effectu res caret, non possint propriè dici causa Barattariæ, tamen puniuntur, ut suo loco videbimus.

XVI. Primarium verò requisitum, quod hîc notandum venit, est, quòd *sub respectu officij* à dantibus accipientibus debeat offerri, *l.* 1. *pr. de L. Jul. repetund.* Unde per se liquescit, quòd ipsis *liceat accipere à sobrinis propiorève gradu cognatis suis*, item *uxore*, *l.* 1. §. 1. *d. t.* quia id præsumitur dignitatis potiùs juvandæ causâ datum; Wesembec. *in paratit. ff. d. t n.* 3. *Nam ratio sanguinis tollit suspicionem*, Gl. *in d. l.* 1. §. 1. verb. *à Sobrinis.* Uxoris donationi videtur obstare *l.* 1. *de donat. inter vir. & uxor.* Sed responderi potest vel 1. cum Wissembach. *ad l. Jul. repetund. n.* 13. quòd *alia donationum, alia munerum sit ratio*: vel 2. quòd donatum eatenus valeat, *quatenus dignitati supplendæ opus est*, *l.* 40. *de donat. inter vir. & uxor. Apparet autem, quòd lex ab his exceptis quidem in infinitum* (seu non definito modo, Bachov. *ad Tr. vol.* 2. *Disp.* 32. *th.* 9. *lit. A.*) *capere permittit*, *l.* 7. §. 1. *d. t. Ab aliis autem* (si officio Magistratûs non egeant, nec coram eo litigent,) *licet munera accipere, modò non excederent in anno aureos centum*, *l.* 6. §. *ult. d. t.* Perez *ad C. ad L. Jul. repet. n.* 6 Ratio satis congrua affertur ab Ærod. *rer. jud. l.* 9. *t.* 3. *c.* 24. *Videtur*, inquit ille, *qui in Magistratu est, eis tam diu loco privati esse, quàm diu illis nulla controversia est, quæ efflagitet officium suum.* Neque id abrogatum existimo per *l* 6. *C. eod.* quæ loquitur de munere accepto *pro beneficio præstito tempore administrationis*, sub respectu administrationis.

XVII. Sed quid statuendum videtur de illo casu, quem proponit Cœpolla *in libello de cautelis recèns edito*, caut. CCVII. sub rubr. *ut nobis judex faveat nolens, volens.* his verbis: *Cautela, quod judex, coram quo causa tua agitari debet, tibi faveat, velit, nolit; primò videas, quòd, quando partes intendunt processum ad eum dirigere, praeoccupes tempus & facias tibi consuli in causa illa, mutatis nominibus, contentis in processu: ita quòd de facili pro te consulet. Et quando erit is ad manûs, poteris consilium ejus in medium deducere, ita quod contra consilium suum nihil audebit attentare.* Exinde jam quæro: annon is, qui ita per cuniculos agit cum judice, tanquam causa Barattariæ debeat censeri & puniri? Et licèt judicis animus, dum pro suo responso juris ab una parte præmiolum licitè accipit, ad illius partis

favorem

favorem magis allici videatur : quia tamen æquè in respondendo, ac in judicando justitiam debet ob oculos habere, &, si hoc neglexerit, pœnam falsi incurrit, Carpzov. *Crim. part. 2. q. 93. n. 56.* atque insuper præmiolum accipit in compensationem laboris, qui aliunde ipsi non remuneratur, unde singularis partium favor hoc in casu non adeò potest præsumi ; & quia denique pars adversa hoc rescíscens judicem recusare potest, Cœpoll. *d. l.* hoc stratagema juris à Barattaria immune esse censemus. In Ordinatione tamen Camerali, *part. 1. tit. 13.* §. Es sollen auch die Beysitzers / bene constitutum est, quòd Dnn. Assessores Cameræ Imperialis debeant abstinere à consulendo etiam in iis causis, quibus ante obtentum Assessoratum operam suam navârunt : nisi causa concernat ; vel proprias ipsorum personas, vel proximos cognatos aut affines.

XVIII. Persona accipiens (quæ etiam est subjectum recipiens, seu materia, in qua, Barattariæ) est illa, quæ, dum gratis suum officium debet impertiri, munus accipit. Et quia, ut suprà vidimus, judex ex Jure Gentium prohibetur vitiosa munera accipere: ideo, licèt sit absolutus (ut ita dicam) Monarcha, in foro saltem poli & conscientiæ is accipiendo munera reus erit Barattariæ. Losæus quidem, ubi rationem vult afferre, cur naturales Regis liberi tanta adhuc gaudeant dignitate, tract. *d. Ordres chapit. 7. num. 92.* ita scribit : *Il faut advoüer, qu'il est d' estoffe & qualité trop plus noble & auguste, que celuy des autres hommes : Veu que Platon au livre 3. de Republ. dit : Que ceux, qui sont nais pour commender, composés d' autre metail, que les autres. Et Aristotele a dit encor plus à propos, que les Roys sont un genre moyen entre Dieu & le peuple.* Dn. Müller ab Ehrenbach / *Gamol. Pers. Illustr. capit. 26. n. 11.* Sed quamvis summi illi Principes sint Dij, morientur tamen sicut homines : & licèt coram hominibus non possint conveniri, Deo tamen de suis actionibus rationem reddere cogentur. Bene Seneca Principes admonet *in Thyest. Act. 3.*

Quicquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est.

Imò ne in præsenti quidem vita apud homines existimationem suam,

ſuam, quæ Principi maximè debet eſſe cordi, talis Dynaſta tuebitur. Satis ad ignominiam patet, quod D. Joh. B. Schuppius *in Salomone* ſuo oder Regenten-Spiegel ſcribit *capit.* 3. *in fin*: Jener geiziger Herr / zu erſpahrung der Unkoſten / hielte keinen Rahte / ſondern anhörte alle Sachen ſelbſt. Als nun zwey ſeiner Bawren einen Streit hatten / ſupplicirte der eine an ſeinem Herren / und legte in die Supplication einen Goldgulden. Da antwortete der Herr: Du haſt recht. Kom̃ künfftigen Mittwochen / ich will deinen Widerpart citiren laſſen / und dem Schelmen ſchon ſagen / was ihm zu ſagen iſt. Als der Widerpart das vernommen / macht er auch eine Supplication an dem Herrn / und legt einen Ducaten darein. Als ſie am Mitwochen zuſammen kamen / wolte der Herr weder deß Goldguldens / noch deß Ducatens entrathen; ſondern ſchüttelte den Kopff / und ſagte: Ihr Schelme / ihr habt alle beyde recht. Vertraget euch miteinander. Neque probandum eſt Auguſti judicium, quo à Gallorum accuſatione abſolutus eſt Licinnus Galliæ præfectus, qui ipſe nullum in ea provincia genus exactionū prætermiſerat; & cùm ſingulis menſibus à Gallis tributū penderetur, menſes quatuordecim anno conſtituerat, dicendo Decembrem verè decimum menſem eſſe, itaque ultra eum duos adhuc eſſe oportere, undecimum & duodecimum. Is igitur accuſatus à Gallis ſic judicium eluſit: Adduxit in ædes ſuas Auguſtum, multisque ibi acervis auri argentique oſtenſis, *Hæc*, inquit, *datâ operâ collegi tibi ac Populo Romano, ne Galli tanta vi pecuniæ deficerent. Hæc & tibi conſervavi & dono do.* P. Ærodius. *rer. judicat. lib.* 9. *tit.* 3. *c.* 16. Quod ipſum ab Auguſto in bonam partem acceptum eſt. *Ex quo colligi poteſt*, ſubjicit Decian. *Crim. l.* 8. *c.* 37. *n.* 26. *pecuniam & ipſorum Imperatorum oculos excæcare, & in ipſis repetundarum judicijs repetundarum crimen committi.*

XIX. De judicibus inferioribus minor eſt dubitatio, de quibus ſatis notabilis eſt textus in *l.* 3. *C. ad L. Jul. repetund. Omnes cognitores & judices à pecunijs atque patrimonijs manûs abſtineant, neque alienum jurgium putent ſuam prædam. Etenim privatarum quoque litium cognitor idemq; mercator ſtatutam legibus cogetur ſubire jacturam.* Conf. *t. t. C. de pœn. jud. qui mal. judic.* Exiſtimat quidem Farinac. *d. q.* III. *n.* 241. judices non habentes ſalarium, non prohiberi accipere munera à ſponte dantibus: ſed cùm æquè militent

ſuprà

ſuprà allegatæ rationes acceptionem munerum prohibentes in contrarium, & generalitas textuum adverſetur, neque ipſe, qui fundat ſeſe in exceptione, hanc exceptionem probet; calculum noſtrum ei addere non poſſumus. Et quoniam arbitria *ad ſimilitudinem judiciorum rediguntur, l. 1. de recept.* in arbitris quoque non magna erit dubitandi ratio. Atque hæc de judicibus.

XX. Legatis itidem Jure Romano prohibitum fuit, ne pecunias acciperent, *l. 1. pr. de L. Jul. repetund.* quamvis ξένια, vi ipſius vocis, illos, ut hoſpites, potuiſſe accipere, cùm hoc caſu valde in humanum ſit à nemine accipere, *arg. l 6. §. 3. de off. Proconſ.* mihi perſuaſum habeam. Ex Polybio tamen enarrat Anton. Matthæi *ad L. Jul. repetund. c. 3. n. 3. Achæorum olim legibus cautum fuiſſe non ſolùm, ne quis magiſtratus, ſed nec privatus dona à rege quacunque tandem ex cauſa caperet. Venetos quoque*, ſcribit idem Author, *libertatis ſuæ ſtudioſiſſimos eandem ſanctionem in Civitate diligenter cuſtodire.* Rationem hanc addit: *Quum regum & liberârum civitatum res inter ſe naturâ ſuâ pugnent, exiſtimabant non poſſe aliter fieri, quàm in publico gentis conſilio, qui hujusmodi donis capti ſunt, aut regum commoda civitatis ſaluti anteferrent, aut, ſi aliter facerent, ingratitudinis notam & opprobrium ſubirent.* Quemadmodum autem ex talibus rationibus ſæpe prudenter, aliquando tamen nimis etiam odioſè de monarchiis in rebuspublicis judicatur. V. Hobb. *in præfat. de Cir.* Vitium hoc plerumque eſt rerum publicarum, ut judicant quidam Politici, *quod nimis ſint circumſpectæ.* Et ergo ſi hoc ex rationibus Juris Gentium eſt decidendum, circa legatos diſtingui poteſt cum Alber. Gentil. *lib. 3. de legato & legatione c. 13.* utrùm munera honoris gratiâ, an verò corruptelæ causâ fiant: illa modeſtè accipi poſſe putamus, Dn. Struv. *d. Diſp. 10. th. 7.* hæc non item. Quæ omnia ex circumſtantiis bene dijudicari debent. Bene Zypæus *de judice lib. 4. c. 28. n. 16. Legatus lautia ac munera, quæ diſcedens (nam antè vix ſine corruptione illiusvé ſuſpicione receperit) ſumſit, more ferè admiſſo, domino indicet.* Teſtes quoque prohibentur munera accipere, *l. 3. §. 5. de teſtib.* Magnificus Dn. Rebhan. *Hodog. Jur. Chart. 2. Clim. 4. n. 42.* Denique omnes ii, qui *in magiſtratu, poteſtate, curatione, legatione vel quo alio officio, munere, miniſterióvé publico* exiſtunt, *l. 1. pr. de L. Jul. repetund.*

XXI. Æquè his perſonis imputatur, ſi non ipſæ directò, ſed

ctò, sed per interpositam personam accipiant, *l. fin.* ibi, *sive per se, sive per interpositam personam. C. ad. L. Jul. repet.* Exemplum bene in uxore judicis ponit Farinac. *d. q n.176.* Nam, dum juxta gl. *in l.* 4. in verbo *donet, ad Sctum Vellejan. mulierum genus est avarissimum,* & juxta Ovvenum *Epigramm. lib. un. n.* 43.

Ecclipsin rarò patitur Sol, Luna frequenter:
Est magis ad lapsum fœmina prona viro:

si vir à muneribus se ipsum adhuc impollutum servat, mulier sæpius succumbit, &, quemadmodum Eva Adamo, malum hoc viro suo postmodum porrigit. Generale hac de re monitum proponit Par. de Puteo. *de Synd. in voc. corruptio. n.* 12. Apud Tacitum *l.* 3. *Annal. c.* 33. Severus Cœcina, quamvis sine effectu, censuit, *ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur. Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus objectari: his statim adhærescere deterrimum quemque provincialium.* Notabilis est textus in *l.* 4. §. 3. *de offic. Proconf. Proficisci Proconsulem melius est sine uxore, sed & cum uxore potest: dummodo sciat Senatum Cotta & Messala Consulibus censuisse futurum, ut, si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur.*

XXII. Quin imò non solùm judex tenetur, si ipse per intermediam personam accipiat, sed etiam, si intermedia persona sola accipiat: ut de eo, quod ejus *domesticus, minister & manipularius acceperit, l.* 1. *C. ad L. Juliam repet.* add. *Nov.* 8. *c.* 7. *Nov.* 161. *c.* 1. *Earum enim culpam*, ut Cicero inquit ad Fratrem, *ipse præstare debet, cujus est eligere fidos, observare suspectos, coërcere corruptos.* Anton. Matth. *de crimin. ad L. Jul. repet. c.* 1. *n.* 6. Distinguendum tamen est, ut dignoscatur, an ex vero delicto, an verò ex quasi delicto teneatur judex; utrùm sciens prudensque homines tales rapaces assumserit, sive, cognitis eorum rapinis, illos non coërcuerit; an verò nescius, cùm tamen potuerit scire? Priori casu ex vero delicto, posteriori ex quasi delicto tenetur. Facilè autem patet, quòd loquamur de his personis, quas ipse judex sibi assumit; non, quæ ipsi ex publico adjunguntur: cùm de iis eatenus tantùm teneatur, quatenus eorum rapacitati sciens patientiam suam accommodat.

XXIII. Ex eo autem, quòd diximus causas Barattariæ esse personas, *quæ gratis suum munus de jure tenentur præstare*, non

difficulter

difficulter colligitur, quòd ad hunc censum non pertineant, quibus de jure licet accipere. *Nam plerique nec Medico volunt reddere honorem suum, nec operario mercedem: nec tamen hac, qui ab invito accipiunt, per injuriam accipiunt, qua potiùs per injuriam non darentur. Sed non ideo debet judex vendere justum judicium, aut testis testimonium verum, quòd vendit advocatus justum patrocinium, jurisperitus verum consilium. Illi enim inter utramque partem ad examen adhibentur, isti ex una parte consistunt*, ut notanter dicitur in *c. non sanè.* 14. *q.* 5. Justè igitur Saul sub initio regni à subditis suis accepit munera in signum gratulationis oblata. Justè Proconsul & hodie Magnates vel eorum Legati munuscula illa, ut vinum, pisces, avenam accipiunt: & optimè huc congruit vetus illud proverbium: *Οὔτε πάντα οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus. Nam valde inhumanum est à nemine accipere; sed passim, vilissimum est, & omnia, avarissimum, l.* 6. §.3. *de Offic. Proconsf. l.* 18. *de Offic. Præf.* Ad has personas, quæ non prohibentur accipere munera, referendum est etiam *c.* 18. *de Simon.* A pauperibus verò, pupillis, viduis, & aliis miserabilibus personis aliquid appetere turpissimum foret, *arg. l. unic. vers. quod si pupilli. C. quand. Imp. int. pup. c. administratores.* 23. *q.* 5. Dn. Tabor *de suffrag. pericop.* 4. *n.* 21. ubi bene addit: *cùm auxilium illis quisque debeat gratis & per commiserationem, non nisi Judaicè hinc exspectaret remunerationem.* Quandoquidem etiam aulicorum munus non præcisè requirit, ut illi cujuslibet negotia Principi commendent, eo igitur nomine ab iis, qui desideria sua explicare cupientes ferri sibi suffragium postulaverint, ipsis licitè quid datur aut promittitur, *l. un. C. de suffrag.* Quod ipsum quemadmodum permisêre Impp. *d. l.* ita & alii Principes possunt permittere. Neque *d. l.* tollitur *Nov.* 8. *c.* 7. quæ agit de suffragio pro magistratu accipiendo, quod cadit in crimen ambitûs. Videatur uberiùs Dn. Tabor *de suffrag. peric.* 4. *n.* 27.

XXIV. Causa procatarctica Barattariæ solet esse primò, quando judices &c. non convenientibus huic splendido officio instruuntur salariis. Ideo Alexander Severus, ut ex Lampridio refert Decian. *d. l. c.* 36. *n.* 30. judices necessariis instruxit ita, *ut Præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulas binas, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, aureos centenos, cocos singulos, &, si uxores non haberent, singulas concubinas, quòd sine*

bis esse non possint, ne scilicet provincialibus mulieribus molesti sint, reddituri, deposita administratione, mulos, mulas, equos, muliones & cocos, caetera sibi habituri, si bene se gessissent; in quadruplum reddituri, si male. Facit etiam huc, quod ex Annalibus Turcicis Lipsius *in Monitis Politicis*, & ex Lipsio refert Forstnerus *ad Tacitum. part. 1. p. m. 191. 192*: *Cum Bajasetes Imperator fraudes & injurias Cadiorum suorum* (ita judices vocant) *saepius jam audiret; iratus omnes in domum quandam includi & igne comburi jussit. Sed Halis purpuratus rationem invenit molliendae indignationis. Habebat Bajasetes Aethiopem puerum in deliciis, lepidum, & ipsa garrulitate amabilem, quem instructum, qua diceret, ad ipsum mittit. Venit igitur quasi accinctus ad iter, quaerentiq; Imperatori, quid praeter morem hic vestitus? respondit, ut peregrè eam, & ableger à Te ad Imperatorem Constantinopolitanum Caligeros aliquot* (hi Graeci Monachi sunt) *arcessiturus, ut nobis jus dicant, quoniam omnes tuos judices vis occisos. Cui Imperator, ô Aethiopille! inquit, nunquid illi sunt periti legum nostrarum? Et non sunt, opportunè respondet, Halis Purpuratus, ô Domine! cur igitur peritos tollis? nam, refert Bajasetes, cur malè judicant? iterum Halis, ego, Domine, causam edam. Hi nostri stipendium è publico nullum percipiunt: capiunt igitur mercedulas à privatis. Hoc corrige, & illi corrigentur. Placuit consilium Bajaseti, & decrevit, ut, cui hereditas tot millium asprorum* (id genus monetae Turcicae est) *obvenisset, is in singula millena Cadio suo daret vicenos; in matrimoniorum & ejusmodi contractibus item vicenos. Ita justitiae subventum.* Unde etiam bene à Dn. Tabore *de suffrag. pericop. 4. n. 13.* adducitur Melchior ab Ossa Cancellarius El. Augusti in *Prudentia Regnativa, c. 6. pag. 112.* ubi sic concludit: Darumb wäre einem jeglichen Herrn / der gern in gutem Wesen sein und bleiben wolte / besser / Er besoldete und versehe seine Diener also / daß sie dieser Gaben und Financerey müssig giengen / käme viel näher darauff / dann daß er solchem Wesen nachhänget. Quamobrem satis congruenter Dnn. Assessoribus Camerae Imperialis, à quibus in *O. C. part. 1. tit. 8.* requiritur, In betrachtung / daß Sie von der Kays. Mayest. auch Chur Fürsten / Fürsten und Ständen deß H. Römischen Reichs / an solche hohe Justitien verordnet / und an ihrer Statt sitzen / mit zierlicher / ehrlicher Kleidung / auch sonst allem Wesen und Wandel / vor andern also stattlich / ehrbahrlich und tapfferlich halten und erzeigen / damit Sie Ihrer Liebd und Kays. Mayest. und den Ständen deß Reichs zu Ehren / gegen männiglich im äusserlichen

Schein darfür angesehen / wie billich / geacht und gehalten werden / wie sich auch ihrem Stand nach wohl ziemet und gebühret / iis, inquam, satis congruenter salarium, quod antea quotannis erat 700. floren. nunc quotannis 1000. Imperialium constitutum est, *R. J. de Anno* 1654. §. dieweil auch. Confer. Blum. *Proc. Cam. tit.* 7.

XXV. Deinde causa procatarctica Barattariæ plerumque est, quando officia, quæ solius virtutis debebant esse præmium, licitationis fiunt opprobrium. Ex vero apud Lipsium in *Pol. l.* 3. *c.*10. *n.* 9. *in not.* Seneca *de Benef.* 1. *c.* 9. ait: *Provincias spoliari & nummarium tribunal, audita utrimque licitatione, alteri addici non mirum: quando, quæ emeris, vendere gentium jus est.* Et Alexander Severus apud Lamprid. c. 49. dicebat: *Ego verò non patiar mercatores potestatum; necesse est enim, ut, qui emit, vendat.* Digna item gloriosissimo Imperatore est illa vox Justiniani nostri *in Nov.* 24. *c.*2: *Oportet igitur, ut qui hunc magistratum suscipit (semper autem gratis eum & absque ulla datione pecuniæ ipsi conferimus, ut & ipse per omnia sordibus abstineat, & his solis, quæ ex publico solvuntur, contentus sit, id quod etiam prima nostra lex dicit) justè & purè & cum quadam asperitate humaniter se erga subditos gerat.* Et in jurejurando, quod præstatur ab his, qui administrationes accipiunt, subjuncto *Nov.* 8. *in fin.* illi tenentur jurare, *quòd nulli penitus neque dederint, neque daturi sint occasione dati cinguli.* Add. *l. ult. C. ad L. Jul. repetund.* De nundinationibus officiorum in Gallia sequens judicium profert Thuanus *Histor. lib.* 24. *pag. m.* 1090: *Kalend. Januarij, ut felicibus auspiciis annus inciperet, lex promulgata, quâ, ut judices spectatæ integritatis & eruditionis in supremis regni curijs & inferioribus subsellijs constituerentur, edicebatur, ut in posterum penes ipsos judices jus esset, cùm aliquis in locum demortui sufficiendus esset, tres probitate & juris scientiâ conspicuos nominandi, ex quibus, quem vellet, Rex eligeret. Id sanctè & salubriter decretum Francisci Olivarij suasu, ac multoties postea repetitum, quò minùs locum habuerit, aulicorum ambitione & avaritia effectum est, qui emolumentum ex muneribus publicis ac dignitatibus pretio irreligiosè æstimatis, & turpiter divenditis captantes, ad augendum, sicuti jactabant, principis ærarium, pravis edictis judicum numerum in immensum multiplicârunt, & ita clarissimus ordo, quem honorificum servari, ad omneis regni ordines in officio continendos reipublicæ intererat, paulatim cœpit vilescere, gliscente sordium veneno, quo indigni homines*

mines nullis meritis, sed opum fiducià aut aulicorum beneficio ad eos honores provecti facilè se corrumpi passi sunt.

XXVI Inter causas procatarcticas etiam potest numerari nimia eorum, qui ad officia admoventur, paupertas, *l. 6. pr. de muner. l. 46. C. de Decurion.* Apologum hanc in rem adducit Decian. *tract. crim. l. 8. c. 36. n. 34*, qui ita se habet: *Vulpes, cùm in foveam cecidisset, neque inde posset exire, muscis arrodebatur; quod cùm ericius illac pertransiens vidisset, pietate motus, interrogavit eam, num vellet, ut ipse acutis suis stimulis muscas perfoderet vel abigeret: respondit vulpes, se nolle, quòd scilicet, quæ tunc sibi insidebant muscæ, jam saturæ, non adeò infestarent eam: quæ si abigerentur, aliæ statim famescentes adessent, quæ, ut istæ, saturarentur maximo cum ejus dolore.* Denique huc etiam refertur à Tuldeno *de caus. corrupt. r. judicior. l. 3. cap. 4* immodicus luxus, quo judices gravissima necessitas premit improbo quæstu inservire uxorum filiarumque & seculi prodigo cultui. *Alexander Magnus quendam in ordinem judicum retulerat, qui capillos suos tingere solebat, quo intellecto, eundem removit: ratus non fore sincerum in judiciis, qui fucatus in cultu esset. ibid.*

XXVII Causa proëgumena est avaritia. Hinc ait Imperator in *Nov. 8. pr. §. 1. Avaritia omnium mater malorum, maximè quando non privatorum, sed judicum inhæret animabus.* Et Jethro Mosi in eligendo judice consilium suppeditat *Exod. 18. vers. 21.* quòd sibi debeat prospicere de talibus, qui avaritiæ sint inimici. Et Tacitus *lib. 1. c. 2. Annal.* causam, quare provinciales moribundæ jam Romanorum libertati non succurrerint, his verbis exprimit: *Neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto Senatûs Populiq; imperio ob certamina potentium & avaritiam magistratuum: invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremò pecuniâ turbabantur.* V. Zypæum *de judice l. 1. c. 16.*

XXVIII. Causam seu efficientem seu deficientem Barattariæ sequitur materia, quæ hîc restat solummodo, circa quam; & ea sunt munera, quibus judicis animus ad dantis partes ita inclinatur, *ut bilanx in eam partem, unde plus accipit, vergit*, sicuti ait Berlich. *Discurs. de justit. pro stat. temp. modern. 10. n. 2.* ubi affert & hoc dicterium Germanicum: Gelt/das krumm ist/macht recht/was krumm ist. Eodem collimat, quod ex Gevara allegat Carpzov. *crim. part. 2. q. 93. n. 57*: Hat einer Gelt/ so ist er ein Held / und der mit gulde-

nen

nen Apffeln werffen (aliàs mit guldenen Kugeln schiessen) kan/ der behält das Feld. Nec non illud: *Tinnulas rationes præcipuam habere vim ad persuadendum.* Simile est illud Ovveni *Epigram. lib.* 1. *n.* 100:

Cuncta trahunt adse magnates aurea: sicut
Ad se magnetes ferrea cuncta trahunt.

Nec facilè quis poterit resistere tot armatis. Ea ratione quidam in alicujus officialis nimis ad rem attenti foribus quibus, erat inscriptum, *Bonis semper patet,* B in D mutato, effecit scriptum, *Donis semper patet.*

XXIX. Adeò autem extenditur objectum hujus vitii, ut Barattaria etiam committatur in *unico nummo.* Mascard. *de probat. vol.* 1. *concl.* 453. *n.* 1. Decian. *tractat. crim. l.* 8. *c* 35. *n.* 9. Farinac. *d. tr. q.* 111. *n.* 161. *& ibid. alleg.* Nam, quod exceptum non est, manet sub regula: & lucri odor ex re minima contagionem hîc excitat. Exinde etiam existimo decidendam celebrem in hac materia quæstionem, an judici sit permissum accipere esculenta & potulenta, item xenia? Fateor catervatim hîc Dd. concedere in sententiam affirmantem, quamvis alii sub aliis præsuppositis, v. g. si judex nullo fruatur salario, vel si sit judex magnæ potestatis, qui minima hæc non curet, per *l.* 6. §. *ult. de Off. Procons.* & *l.* 18. *de Offic. Præsid.* Sed quia, ut ait Sapiens Ecclesiast. c. 20. v. 30. *Ξένια καὶ δῶρα ἀποτυφλοῖ ὀφθαλμοὺς σοφῶν: Xenia & dona excæcant oculos sapientum,* quam supra th. 12. genuinam esse in prohibitione Barattariæ causam demonstravimus: ergo ex eadem ratione, idem jus in xeniis quoque statuendum. Confirmatur hoc ex modo allata ratione in unico nummo, quem accipere prohibitum dicunt Dd. Quid verò interest in hac materia inter nummum & rem tali nummo æstimatam? Facilè enim quis potest imitari Themistoclem, qui accepta edulia retrò aliis vendidit. Ærod. *d. t. c.* 24. Confer etiam *l. ult. C. ad leg. Jul. repetund.* ubi expressis verbis dicitur, quòd officiales debeant jurare se (*exceptis solis salariis*) *nihil penitus accepturos*; & *Nov.* 16. *c.* 1. ibi *nullum contingere lucrum, neque majus neque minus.* Ad *d. l.* 6. *& l.* 18. respondet glos. in *d. l.* 18. eas esse sublatas per *Auth. scriptum exemplar. Collat.* 2. Sed nos rectiùs distingui existimamus, ut in simili Anton. Matthæi

ad L. Jul. repet. c. 1. *n.* 10. an Præses accipiat xenia iſta, ut præſes; an verò ut judex: ſive, ut clariùs loquitur Dn. Struv. *Diſp. crim.* 10. *n.* 16. an accipiat ab eo, qui coram eo non litigat; an verò ab eo, qui litigat. De priori caſu d. LL. exaudimus, quod ipſe contextus ſuadet, dum rationem *humanitatis* allegat; & inſuper ipſa vox ξένια, quæ à ξένος *hoſpes* derivatur, in proprio ſignificatu innuit. Et quanquam Xenia latiùs accepta etiam cujusvis generis munuſcula ſignificent, ut in allegato loco ex Sacris: tamẽ in dubio vox accipienda in ſignificatu proprio. Illuſtratur jam dicta ſententia ex eo, quòd Prӕſidibus nihil à provincialibus ſuppeditari debuerit præter fœnum, tectum & pauca ſimilia. Ærod. *d. l.* Addunt igitur JCti, non hîc excludi eſculenta & potulenta, quæ intra dies proximos conſumi queant, ſicuti nec Xeniola ad favorem Præſidis conciliandum à provincialibus ipſi data, quo favore cùm per ſe aliàs teneatur complecti ſuos provinciales, ſi repudiaret illa munuſcula, non immeritò in ſuſpicionem inhumanitatis apud eos incideret. Non itaque video, quomodo hinc argumentum ad judicem, ut is à partibus litigantibus talia etiam accipiat, peti poſſit. Conf. Tulden. *de cauſ. corrupt. judicior. l.* 3. *c.* 5. Obſtare etiam videtur *c. ſtatutum.* 11. *v. Inſuper ut gratis. de reſcript. in* 6. ubi in ſpecie judici delegato permittitur eſculentum & potulentum mera liberalitate oblatum, quod paucis conſumi poſſit diebus, recipere. Sed reſpondendum exiſtimamus, 1. Pontificem non hoc certò ſtatuere, ſed reſpicere ad jus civile, ex quo ſi *forſan* probari id poſſit (quod nos negamus) etiam ipſum hoc tum permittere. ibi, *forſan.* 2. exaudiri poſſe textum de eo, quod ab utraque parte ſimul, non ab una tantùm parte ad ſibi tantummodo aucupandum judicis favorem judici delegato offertur. ibi, *ab iisdem partibus. Ac licèt eſculenta & potulenta videantur eſſe calcar expediendarum litium, ut alibi dicit Baldus &c. & minutula gratitudinis ſymbola, ob quæ nihil magis aut minùs in judicio aut executione facienda procedatur: attamen non permittendum, ut vel hæc judices capere poſſint, arg. c. militare.* 23. *q.* 1. *Nam & in minimis eſt affectio, & ex minimis, ſi permittantur, facilis ad majora optanda & capienda eſt via,* verba ſunt Carpzovii *crimin. part.* 2. *q.* 93. *n.* 16. Add. Winther. in *Parthenio Litigioſo l.* 2. *c.* 10. *n.* 28. Quam ipſam rationem magis adhuc locum habere putamus in eo judice, cui nullum conſtitutum eſt ſalarium; qui tamen, cùm ſit

cùm sit judex, æquè æquum partibus sese præstare debet, & curet potiùs sportulas sibi augeri, quàm munera iniqua dari. Ad quas sportulas etiam respicere censeo *Nov.* 8. §. *scriptum exemplar.* ut hoc ipsum optimè probatur ex *Nov.* 15. *c.* 6. *pr.* ubi pro decretis defensorum civitatum, siquidem civitates majores sunt, quatuor aurei; si verò minores, tres ipsis dantur, *sicut jamdudum constitutum est legibus.* Quod ipsum ibidē affirmari de defensoribus nullum habentibus salarium, satis ex eo liquet, quia ii, qui habent salarium, statim per particulam adversativam *verò* subjiciuntur, *versic. si verò quædam salaria habent publica, etiam hæc secundùm consuetudinem percipient.* Et quod de Præsidibus *in d. l.* 6. *& dict. loc.* 18. dicitur, non huc posse applicari, patet etiam ex *th.* 24. *vers. Ideo Alexander Severus.* Denique (ut redeam ad quæstionem principalem) quod attinet communem dissentientium Dd. opinionem, illa jus non faciet: & nostra quoq; sententia, uti ex hac ipsa thesi apparet, magni nominis JCtorum autoritatibus suffulcitur.

XXX. Neque solummodo munus hîc intelligimus, si quid sit datum; sed etiam, si quid saltem sit promissum, *Auth. Novo Jure.* ibi: *se dedisse alicui vel promisisse. C. de pœn. judic.* v. Par. de Puteo *de Syndic.* in verbo *corruptio c.* 1. *n.* 6. Omne siquidem promissum induit naturam debiti, arg. *l. fin. C. ad L. Falcid.* Menoch. *de arbitr. quæst. l.* 2. *cas.* 342. *n.* 29. Et hoc eousque extenditur, ut obtineat, sive promissio sit acceptata, sive sit non recusata. Farinac. *d. tr q.* 111. *n.* 163. cùm, qui tacet, dum contradicere potest & debet, consentire videatur. Obtinet tamen hæc sententia, si promissio fuerit certa & specifica: nam si fuerit generalis & incerta, judexque faciat justitiam, non tenetur de Barattaria. Farinac. *d. l. n.* 30. & 164. cùm hæ generales & incertæ promissiones promittentem non ligent, *l.* 115. *de verb. oblig.* Quin etiam, si obligatione liberatus sit, potest videri cepisse, *idemq; si gratuita pecunia data sit, aut minoris locata venditavè res sit: & generaliter idem erit, si quid omnino compendij senserit propter hoc, l.* 2. *&* 3. *pr. de calumniator.* aut *cujuscunque contractûs velamentum intercesserit, l. fin. C. ad L. Jul. repet.* Conf. *l.* 16. *C. si cert. petat.*, quæ cum *l.* 34. §. 1. *ff. eod.* conciliatur distinguendo inter eos, qui sunt subjecti Præsidi, & qui non sunt. Dn. Tabor *de suffrag. peric.* 4. *n.* 26. V. Farinac. *d. l. n.* 168 *& seqq.* ubi Bartolum affert ad has LL. qui declarat pecuniæ appellatione ve-

nire

nire *omne commodum burſale.* Sic *veterator quidam equum vetulum & annoſum cum generoſo litigaturi equo permutavit, & ita titulum de permutationibus ſingulari litium gloſſâ illuſtravit.* Winther. *Parthen. Litig. l.* 1. *c.* 12. *n.* 16. Qui ipſe etiam bene addit *d. tract. l.* 2. *t.* 10. *n.* 23: *Non decet judicem, ut ſe conviviis litigatorum nimis excipi patiatur.*

XXXI. Materiam ſubſequitur Forma. Forma verò eſſentialis eſt, quam definitione expreſſimus; & dum eam in reliquis cauſarum generibus expendimus, formam quoque ſimul expendimus, ut cramben bis coquere non neceſſarium judicemus. Quot accidentales formas induat Barattaria, dum modò pecuniis, modò ſolis promiſſionibus eſt contenta, facilè itidem ex dictis eluceſcit.

XXXII. Finis pro diverſitate corrumpentium diverſus quoque eſt; quamvis ratione corruptorum unius generis ſit, videlicet rem ſuam adaugere. Reſpectu igitur corrumpentium finis alius concernit ſtatum publicum, alius privatum. Publicus iterum eſt vel circa ſacra, vel circa ſecularia. In ſacris ordines ſacri pecuniâ expugnari ſolent, quam qui accipiunt, committunt Barattariam, quæ in ſpecie dicitur Simonia, per quam res ſacra venditur, ſicut per Barattariam, ſtrictiſſimè ſic dictam, leges, quæ etiam dicuntur ſacratiſſimæ, *l. 9. C. de legibus*, venduntur. Maſcard. *de probat. vol.* 1. *concl.* 164. *n.* 10. Solet tamen etiam Barattaria aliquando Simonia dici. Farinac. *d. q.* 111. *n.* 6. De Simonia notatu digna ſunt verba *l.* 31. *C. de Epiſc. & Cler. Nemo gradum Sacerdotij pretij venalitate mercetur, quantum quiſque mereatur, non, quantum dare ſufficiat, æſtimetur. Profectò enim quis locus tutus, & quæ cauſa eſſe poterit excuſata, ſi veneranda Dei templa pecunijs expugnentur? quem murum integritatis aut vallum fidei providebimus, ſi auri ſacra fames in penetralia veneranda proſerpat? quid denique cautum eſſe poterit aut ſecurum, ſi ſanctitas incorrupta corrumpatur? Presbiter*, inquit *c.* 3. *cauſâ* 1. *q.* 1. *ſi per pecuniam Eccleſiam obtinuerit, non ſolùm Eccleſiâ privetur, ſed etiam ſacerdotij honore ſpolietur, quia altare & decimas & Sp. S. emere vel vendere Simoniacam hæreſin eſſe, nullus fidelium ignorat.* Et in *c. non ſolùm.* 1. *q.* 3. iſtiusmodi dicuntur *venditores columbarum,* & qui *domum Dei faciunt domum negotiationis.* Quemadmodum plura ejus generis videre licet *cauſ.* 1. *quæſt.* 1 *& ſeqq.* Add. *t. t. de Simonia. Quem tamen titulum hodie in curia Romana antiquatum, falsè ex Panormitano notat Co-*

tat Costalius in l. 17. §. sicut. D. commod. ut refert Wissenbach. *ad. l.* 182. *de R. J. n.* 3. ubi introducit quoque Ovvenum ita canentem *lib.* 1. *Epigram. ad Principem Walliæ n.* 8.

An Petrus fuerit Romæ sub judice lis est:
Simonem Romæ nemo fuisse negat.

& alium ita:

Si caput à capio vel dicitur à capiendo;
Tunc est Roma caput, omnia namque capit.

Exstant etiam hac de re in Capitulatione Gloriosissimi nostri Imperatoris Leopoldi *art.* 19. cautiones. Author libri, qui titulum præ se fert SALOMONIS oder Regenten-Spiegels *c.* 4. narrat, venisse quendam Romæ ad Prælatum, cui facultas erat data aliquot præbendas elargiendi; qui, cum in examine fuisset interrogatus à Prælato, quæstione semper ab hoc Prælato in tali actu usurpata, quis fuisset Melchisedeci Pater, protraxit marsupium ducatis plenum dicens: Hoc fuit ejus Pater; & mox aliud, iterans: Hoc fuit ejus Mater. Prælatus mirabundus regessit, nunquam ita ingeniosè sibi responsum super hac quæstione. Sed utut sit hoc ingeniosè factum; ingenuè factum non est. Casûs tamen, ubi licet accipere Clericis, vide apud Dn. Taborem *de suffrag. per.* 4. *n.* 25.

XXXIII. In muneribus publicis secularibus Barattaria præcipuè committitur, cùm collatio munerum & dignitatum, quæ gratuita virtutis debebant esse brabéa, licitationi subjicitur, ut tum dignus & indignus æquè Ablativum regant. Conf. *l. ult. C. ad L. Jul. repet. Nov.* 8. *c.* 7. *Quæ omnia à Justiniano rite decreta parum religiosè servata* fuisse tradit Evagrius *lib.* 4. *c.* 29. Dn. Tabor *de suffrag. pericop.* 4. *n.* 27. ubi & Zonaram & Nicephorum & Procopium & Tiberium II. in testimonium adducit. Qui ipse tamen Dn. Tabor tandem in fine *d. n.* addit: *Verùm Justinianus Nov.* 30. *c.* 6. *super hac injuria protestatur, inquiens: Magistratum gratis nos creamus, & ordinationem ejus absque omnibus procedere largitionibus sancimus, neque quisquam erit, qui pro hac quidquam capiat.* vid. plur. *ibid.* Conf. etiam Damhouder. *Prax. Crimin. c.* 133. *Nostro,* inquit Wissembach. *ff. ad L. Jul. ambit. n.* 19. *hoc seculo nundinatorio vix ullus est accusationi ambitûs locus. In Gallia, teste Mornacio ad l.* 3. *§. si quid minori* 7. *de minor.* ut etiam *ad L. Jul.-de ambitu* & passim, *nullum munus publicum, quale-*

D *cunque*

cunque illud sit, præter regni annulum, seu nomophylaciam & Cancellariatum, quod stupendo pretio non veneat. Belgÿ quoque hanc labem castigavit Matthæus de crim. lib, 48. *Dig. tit.* 11. *c.* 2. *n.* 3. Quæ tamen nos in medio relinquimus. Certè quoad militaria in Gallia, cùm tot inveniantur, præsertim ex natu minoribus, quos *cadets* vocant, qui æquè dignos sese effecerunt ad obeunda officia militaria, ubi æqualis virtus electioni non relinquit locum, non improbandum est, si augmentatio ærarii publici lancem & lanceam ad unam partem plùs propendere faciat. Munera etiam, quæ magis Fisci reditûs spectant, quin justè & utiliter elocari queant, nullus dubito: cùm sic ærarium de suis proventibus sit certum, & conductor meliùs iis, ut suis & ad se immediatè spectantibus, sit invigilaturus. Buxhorn. *Disquisit. Polit.* 42. *Naturale quippe vitium est, negligi, quod communiter possidetur, l.* 2. *C. quando & quib: quart. lib. X.* Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. c.* 1. *aph.* 1. *n.* 3. Quanquam autem dignitates non debent vendi, ut tamen de instrumento desuper confecto Cancellariæ proportionaliter taxa solvatur, injustitiam nullam sapit. Imò si reipubl. salus nummos desideret, possunt quoque dignitates vendi, ita tamen, ut nemini exinde inferatur injuria: quemadmodum Patritiatûs dignitas ingenti pecuniæ summâ Venetiis comparari dicitur. Finis item, cur Legatus corrumpatur, est, ut publicam Domini sui salutem prodat; cùm alioquin debeat esse

Vox Regum, lingua salutis,
Fœderis orator, pacis via, terminus iræ,
Semen amicitiæ, belli fuga, litibus hostis,

ut cum Poëta loquitur Besold. *Synops. Pol. l.* 2. *c.* 13. *n.* 2. De aliis proditionum generibus dicere propositum nostrum jam non permittit.

XXXIV. Scrupulosus aliquantulùm videtur casus, quem in tractatu de induciis inter Hispanos & Belgas intervenisse refert Grotius *in Annal. Belgic. ad Annum* 1607. *lib.* 16 his ferè verbis: *Franciscus Naja, inter Franciscani instituti Monachos suæ gentis princeps, linguâ promptus, & quanquam haud ignarus aulæ: nam & Hispaniam viderat, & Bruxellæ magnis negotÿs immixtus vixerat, apertum, quale Belgis, ingenium præferens, ut dolum haud facilè suspicatus fueris, vi-*

ta etiam

ta etiam professione adversus pudorem munitus, nec repulsa nec contumelia admodum metuens, in tractatu de inducijs Belgicis ad promovenda Hispanorum commoda in Hollandiam missus, Cornelium Arsenium, Unitorum Ordinum scribam, arcanum ad colloquium invitabat. Qui Arsenius, quod res erat, futurum præsagiens, Principem Mauritium adit, jubeturq́ᵹ, si quid magni muneris offereratur, accipere, detegendis hostium insidijs. Ubi convenêre, Monachus facundè gratiás agere, quòd ipso adjutore pax initiá habuisset. Nam cùm primùm in Batavos Naja venerat, sequestre Craulio, qui Arsenium sanguine attingebat, primos apud illum invenerat aditûs. Addit inde: haud sibi ignarum, quantum hoc facto Arsenius periculum adiisset, si res non ex voto utriusque evenisset, invido semper ac suspicace plurium imperio. Cupidum hunc Belgicæ concordiæ animum diligere ac gratè æstimare Archiduces, daturosq́ᵹ olim majora, nunc domum ipsi reddere, quam Bruxellæ habuisset. Marchionem Spinolam eorumdem votorum participem, si aut pax, aut novem annis induciæ convenissent, quinquaginta ipsi scutatorum millia polliceri. Horum millia quindecim, ubi vellet, repræsentaturum, aderatq́ᵹ manu ipsius Spinolæ signata cautio. Suo deinde Naja nomine Uxori Arsenij donabat lapidem adamantem non vulgaris pretij. Arsenius de domo gratias agens, quam etiam sibi ex urbis Bruxellæ, quo tempore dedita erat, pactione deberi existimaret, cætera aliquandiu recusans, ut fidei suæ gravia, tandem & gemmam & syngrapham accipit, remq́ᵹ, Principi & Principe auctore Procerum paucis renunciat. Mox de recipiendis quindecim millibus sollicitatus novis Najæ literis, vérensq́ᵹ, ne anceps arcanum in pejus erumperet, omnem rei ordinem Concilio pandit. Visum Patribus chartam simul atque adamantem apud communis ærarij Præfectum Georgium Debiaum, notæ fidei virum, servari. Qua occasione quæstionem in thesi (nam ad propositam hypothesin descendere non est nostrum) examinabimus, an officialis sciente & consentiente supremo reipublicæ administratore (in monarchiis quippe Princeps ipse faciliùs potest consuli) à contraria parte corruptionem officialis intendente munera possit accipere sub hoc fine, ut consilia adversariorum resciscendo & detegendo salutem Reipublicæ ipse magis eo ipso promoveat? Non quæro, an hoc tutum sit: *nam nec* ipse hic *Arsenius plebis odium vitavit, quæ sinisteriùs acceptum rumorem interpretando accendebat*, & ideo *Princeps* Mauritius sagaciter hoc prævidens *munerum custodiam abnuebat*: sed in eo nostra vertitur quæstio, *an talis minister hoc justè queat facere, ita ut non incurrat Barattariam?* Et licèt hoc prima

fronte

munita adversùm donationes vestras videntur, numerum augebimus. Refer ad Dominum dona, quæ nec pro pace dare opus est, & summum sit nefas accipere contra libertatem. Deprehensus inopinatò Verreikius, quod diceret, non habuit, nisi, si quid tale factum, Archiducum injussu contigisse: nec mirum adeò, si Monachi, avarum imprimis hominum genus, alios ex se æstimarent.

XXXV. Privatum ob finem corrumpuntur ut plurimùm judices, arbitri, testes: & in hoc fine plura legibus nostris sunt constituta. Quin itaque Barattariam committat, qui propter causas civiles aut criminales, quæ etiam suo modo privatæ dici possunt, dubium nullum relinquitur, ut satis ex hac ipsa Dispntatione elucet.

XXXVI. Quò autem plures intricatiores quæstiones circa causam finalem occurrentes possint resolvi, fundamenti loco tenenda est *l. 4. de L. Jul. repet.* ubi dicitur, quòd prædictæ personæ non liceat quid accipere, *quò magis, aut minùs quid ex officio suo faciat.* Hinc liquet 1. quòd judici ad se corrumpendum nihil liceat accipere. 2. nec, si nihil sit dictũ à judice, quo animo accipiat. Menoch. *arb. quæst. lib. 2. cent. 4. cas. 342. n. 27.* Nam accipit, vel ut justè judicet, vel ut injustè; qui uterq; casus *h. l.* coërcetur. Limitat hanc propositionem Farinac. *d. q. 111. n. 220. & 221.* si *publicè* quid ita detur, quòd tum causa suspicionis tollatur. Sed quia omnis donatio à parte litigante judici facta est prohibita, neque hæc exceptio uspiam reperitur, nos eam agnoscere non possumus. 3. nec, ut justam ferat sententiam. Conf. *l. 2. §. 2. de condict. ob turp. caus. Nov. 82. c. 9. in fin.* unde bene asserit Carpzov. *crim. part. 2. q. 93. n. 59* quòd puræ manûs sint servandæ Deo, Regi, & Legi. Add. *c. 66. & 71. caus. 11. q. 3.* Conf. Par. de Puteo *de Syndic.* in verbo *Corruptio. n. 10.* Quippe, ut ait Cicero, *l. 1. de LL. qui mercede bonus vir est, mercede erit malus, cùm justitia debeat esse gratuita.* Menoch. *d. cas. 342. n. 23. Nam causam bonam nec cognoscere facile est, neque, cùm cognoveris, continere,* ut ex Plat. *de LL.* ait Anthon. Matthæi *d. l. c. 1. n. 7.* Et *qui permisit sibi capere donum ab eo, qui bono jure nititur; permittet sibi, ut eum bono jure niti existimet, qui plurimum donaverit: magisq; argentum utrinque datum, quàm argumentum utriusque ponderabit.* Tulden. *d. l. c. 5.* 4. nec, etiamsi justam ferat sententiam, propter dictas paulò suprà rationes. Adde *l. 3. §. 1. de calumniator.* Neque ergo hîc locũ habet pœnitentia. Par. de Puteo *d. l.* in voce *Barattaria. n. 4.*

 & ita

& ita Florentiæ contra quendam judicē esse pronuntiatum refert Farinac. *d. q. n.* 177. quanquam *n.* 118. hæsitet Hoc tamen intelligitur verum, quando judex acceptum non restituit. Si enim restituisset, verè non posset dici corruptus. Menoch. *d. cas* 342. *n.* 31. vid. *Speidel. in Notabil. in* voc. *Baratteria.* 5. neque, ut citò expediat sententiam. Menoch. *d. l. n.* 26. Suum enim facit officium lites celeriter expediendo. 6. neque, ut judex sit indemnis. Quanquam hîc distinguendum est cum Par, de Puteo *d. tract. in* voc. *Corruptio. c.* 3. *n.* 17. an judex promissionem indemnitatis acceptet ante, vel post sententiam. Priori casu votum suum revelat, & ita committit falsum, *l.* 22. *C. ad L. Corn. de fals.* Posteriori casu potest, præsertim si sit exsecutor, qui solet recipere cautionem indemnitatis, quando timet exsequi, & pars condemnata magnæ potentiæ est. Liquet hinc, quòd donatio remuneratoria, quæ non fit respectu talis officii, non sit prohibita. Decian. *tract. crim. l.* 8 *c.* 40. *n.* 2. nec, quæ fit amicitiæ causâ ab amico; cùm attendenda sit qualitas dantis, *c. etsi quæstiones. de Simon.* Præsumitur tamen, si quis in officio recipiat ab amico, ex officii causa regulariter datum, nisi qualitas personarum repugnet, ut si sint integerrimæ vitę, vel si concurrant aliæ conjecturæ innocentiæ. Decian. *d. l. n.* 8.

XXXVII. Quæritur autem, quid sentiendum sit, si post sententiam pars victrix judici offerat munus? Multi quidem Dd. concedunt in eam sententiam, quòd judex tunc possit munus accipere. Textus tamen expressus est in contrarium in *l. fin. C. ad L. Jul. repet.* ubi sic verba sese habent: *Sancimus ejusmodi viros ... nihil penitus tam in administratione positos, quàm post depositum officium pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis, quam gratuitò meruerunt, accepturos.* Objiciunt Dd. *l. Aquilius.* 27. *de donation.* sed fefellit eos lectio Corporis vulgati, ubi sic sonant verba: Attilius Regulus juvenis ad Nicostratum *Prætorem*, cùm juxta editionem Florentinam debuerit esse *Rhetorem.* Quam lectionem ipse insuper contextus facilè defendet, cùm dicatur, quòd iste Nicostratus Regulum eloquentiâ & diligentiâ suâ meliorem reddiderit. Datum ergo hîc rhetori, non Prætori, *Nec valet consecutio ista, remuneratio est absoluta liberalitas: Ergo magistratui vel judici fieri potest. Vetat enim lex etiam remunerari judicem*, ut judicem. Anton. Matth.

d. c. 1.

d. c. 1. *n.* 8. Limitat quidem ſententiam Dd. Farinac. *d. q.* 111. *n.* 213. *& ſeq.* quòd non obtineat, quando ſententiam præceſſit aliqua promiſſio, aut promiſſionis ſuſpicio, aut ſpes accipiendi: ſed generalitati textûs inhærentes, generaliter etiam negandam quæſtionem cenſuimus. Et cùm *in dubio præſumatur fraus,* teſte ipſo Farinac. *d. n. ſeq.* & inſuper *multæ ſint in animis hominum latebræ,* ut Cicero inquit pro M. Marcello; vix talis caſus, quem ipſe fingit, exſiſtet, aut exſiſtere ſaltem præſumetur. *Si* enim *remunerari judices liceret: ineſcati lucri ſpe, darent lites ſecundùm locupletiores potiùs, quàm ſecundùm pauperiores, quoniam horum tenuitas lucri ſpem præcidit,* inquit Anton. Matth. *d. l.* & ex eo Wiſſembach. *ad L. Jul. repet. n.* 2. Contrariam quidem ſententiam quoque fovit Concilium Romanum, quod tempore Mauritii actum eſt ſub Gregorio II. quòd ſc. poſt ordinationem aliquid gratiæ causâ liceat accipere. *Ejus enim oblationem nullam culpæ maculam ingerere, quæ ex accipientis ambitu non proceſſit,* inquit Synodus. *Sed* bene ſubjicit Ærodius *d. l. c.* 24. *fraus admitteretur: neque intereſt præmio, an ſpe præmij quicquam à judice fiat. Itaque de ordinato quod diximus, aliter poſteà placuit, tàm Concilio Chalcedonenſi, quàm Braccarenſi III.* Nam etiam juxta Apoſtolum, *à ſpecie mali abſtinendum.* vid. Amadæum *de Syndic. ab init. n.* 166. §. *item ſi accepit.*

XXXVIII. Poſt expoſitas cauſas hujus vitii, ſequitur, ut videamus ejus in jure effectûs. Primus autem effectus eſt, quòd Barattaria omnes effectûs, qui intercedunt inter corrumpentem & corruptum ratione contractuum deſuper factorum impediat, *l.* 8. *ſ.* 1. *de L. Jul. repetund.* quæ lex omnes venditiones & locationes, ejus rei causâ factas, irritas facit impeditque uſucapionem, jung. *l.* 5. *C. de legib.* & Vinn. *illuſt. quæſt.* 1. De ipſo tamen ad corrumpendum judicem dato notum eſt, quia in pari cauſa poſſidentis melior eſt conditio, quòd illud à judice per condictionem ob turpem cauſam à dante non poſſit repeti, *l.* 3. *de condict. ob turp. cauſ.* Quæritur hinc juxta *l.* 2. *ſ.* 2. *d. tit.* ſi dedi, ut ſecundùm me in bona cauſa judex pronunciaret, anne tum ſit condictioni locus, ita ut datum poſſim repetere? Et prima fronte videtur locum fore *d. l.* iis verbis, *eſt quidem relatum condictioni locum eſſe.* & *c. non ſanè* 14. *q.* 1. ubi Auguſtinus dicit: *Ille tamen ſolet tanquam malè ſibi ablatam pecuniam repetere, qui juſtum judicium emit.* Sed in con-

in contrarium facit *l.* 3. *d. tit.* ibi, *ubi & dantis & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus.* Sed hîc & dantis turpitudo versatur; *crimen* enim is ipse *contrahit, judicem* quippe *corrumpere videtur d. l.* 2. qui, ut suis sit addictus partibus, pretio eum obstringit, cujus judicium liberum debebat relinqui, & neutri esse obnoxium; & judicem inducit, ut non tam ob justitiam causæ, quàm ob acceptam demum pecuniam secundùm jus & æquum pronunciet. Dn. Struv. *Syntag. Jur. Civ. Exerc.* 18. *num.* 23. De accipiente minor est dubitatio, quin crimen incurrat. Non posse itaque repeti datam pecuniam concludimus. Ad oppositum ex *d. l.* 2. dubium respondet Menoch. *arbitr. jud. quæst. Cent.* 4. *cas.* 343. *n.* 7. addendam textui esse particulam negativam. Sed salvis adhuc textûs verbis, dicendum videtur, ea verba proponi tanquam rationem dubitandi, non tanquam decisionem, ita ut hic sit sensus legis: Quæritur, si judici dem, ut secundùm me in bona causa pronunciet, an datum possim repetere? Ratio dubitandi: est relatum, seu affirmatum à multis condictioni locum esse. Ratio decidendi: sed hic quoque crimen contrahit. Ergo &c. Sic textus, qui alioquin sibi non cohæreret, satis congruum habet sensum. *D. c. non sanè.* accipimus cum Menoch. *d. l. n.* 9. non de eo, qui sua sponte dedit pecuniam; sed de eo, à quo vi quodammodo extorta est pecunia, ut pro eo, licèt justa, ferretur sentententia. ibi, *ablatam.*

XXXIX. Secundus effectus est, quòd sententiæ effectum Barattariæ intercludat, quoniam sententia est ipso jure nulla, *l.* 7. *C. quando provoc. non est necess. etiamsi sit justa: nam ex hoc, quod est lata per pecuniam, dicitur injusta & nulla.* Paul. de Castro in *d. l.* 7. Quod etiam procedit, si plures sint judices, & major eorum pars sit corrupta. *Farinac. d. q.* 111. *n.* 201. qui etiam idem asserit, si duo sint judices & unus eorum corruptus, *cùm unus sine altero judicare non possit.* Decian. *d. l. cap.* 39. *num.* 27. adde Mascard. *de probat. l.* 1. *conclu.* 166. *n.* 9. Quod si minor pars fuerit corrupta, & reliqui id ignoraverint, sententia iniqua per ordinaria juris remedia, ut appellationem & sim. est rescindenda. Farinac. *d. l. n.* 200. V. Zypæum *de judice l.* 1. *c.* 16. *n.* 8. In laudo distinguit Menoch. *d. l. n.* 11. an arbiter sit juris, & tum nullam existimat esse sententiam; an verò sit arbiter à partibus electus, & tum *doli clausula* locum habet.

bet, *l.31. de recept.* si in compromisso adjectum sit, *si quid dolo in ea re factum sit*, ex stipulatu actio, *l.31. de recept. l.3. C. eod.*

XL. Tertius effectus est infamiæ nota, *l. ult.* ibi: *æstimationis dispendij. C. de pœn. judic. qui mal.* unde talis dicitur *famæ suæ prodigus, & proprij persecutor honoris, c.1. de Sentent. & re judic. in 6.* Unde facile est resolvere, quod controversi juris esse dicit Theodor. *Disp. criminal. 9. th.1. in fin. exeg.* an hoc judicio damnatus possit ad testimonium adhiberi? quod negatur. Add. *l.6. §.1. d. L. Jul. repetund.* Nimis ergo remissè L. Lentulus, damnatus Lege Cæcilia repetundarum, nihilominus postea censor est factus, ut ex Valerio refert Ærod. *d. l. c.23.* *Veniam* enim *dari facto vetito quidem, non inusitato tamen* non oportuerat (licèt contrarium in causa Julii Bassi voluerit Cœpio) cùm hoc vitium evertat primarium constituendæ reipublicæ finem, nec ita facilè ad notitiam magistratûs perveniat, Bach. *ad Treutl. vol.1. Disp. 1. thes. 9. lit. B. §. Unde resolvi potest,)* & multis personis delinquentibus supplicia potiùs sint exacerbanda, *l.16. §.10. de pœn.* Adde *l.12. C. de dignitat.* ubi sic habent verba: *Honore exuti inter pessimos quosque & plebejos habeantur, nec sibi posthac de eo honore blandiantur, quo seipsos indignos judicaverunt.* Jure tamen Canonico juxta *cap.1. de sentent. & re judic. in 6.* judices Ecclesiastici præter alias pœnas lege definitas ab executione officii *per annum* suspenduntur. Quin nec Magnates, qui aliquantùm avidiùs pecuniæ inhiarunt, vulgi dicteria post mortem declinare possunt. Unde Persæ Cyrum dixerunt fuisse Patrem, Cambysen dominum, Darium verò mercatorem. Danæus *Pol. p.m.* 495.

XLI. Quartò talis judex litem suam facit, *l.15. §.1. de judic.* & in solidam litis æstimationem parti, quam læsit, tenetur, *l 2. C. de pœn. judic.* Perez. *ad d. t. n.2.* & tenetur ad expensas & damna, quæ passus est litigator. Farinac. *d. q.* 111. *n.*36. ubi ex Neviz. addit, *Judicem isto casu esse deterioris conditionis, quàm fœneratorem: fœnerator enim restituendo usuram, quam accepit, misericordiam à Deo sperare potest, sed judex corruptus pro decem ducatis non poterit absolvi, nisi restituat damna & interesse, quæ fortè ascendunt ad mille.* Verùm ego arcanum Dei judicium non curiosiùs rimabor. Hoc interim verum manet, quòd judex corruptus, hoc modo pro decem aureis mille aureos quandoque solvere cogatur. Insuper locum habet

bet contra talem judicem iniquè decernentem edictum, quod quisque juris in alium statuerit, *t. t. quod quisque juris in al.* Denique tenetur etiam edicto de calumniatoribus, *l. 1. §. 3. de calumniator.* Obiter de concussore judice notari potest ex *Colleg. Jurid. Argent. de L. Jul. repetund. n. 6.* quòd, si adversus judicem talem agatur, actori spoliato soli in quadruplum is veniat condemnandus, uti habet Græcus textus *Nov. 8. c. 7.* cujus hæc sunt verba: *αὐτοί τε ὑποκείσονται τοῖς ἐζημιωμένοις τῇ εἰς τὸ τετραπλοῦν ἀποδόσει*, & Haloander rectè vertit: *tenebantur & ipsi quadrupli restitutione iis, qui damno affecti sunt.* Quod si judicis Consiliarius, Vicarius vel Cancellarius invito quid abstulerit, quadruplum exsolvere tenetur, cujus medietas spoliato, altera fisco acquiritur, *l. 3. C. de assessor.* Proinde non legibus conformis fuit sententia Senatûs Romani, quâ, cùm Marius Priscus accusaretur ab Afris repetundarum, censuit Senatus septingenta millia, quæ abstulerat, non provincialibus restituenda, sed ærario inferenda, urbe insuper Italiaque Mario interdicendum. Conf. *l. 1. de concussion.* Judicium hoc sic exagitat Juvenalis:

Exul ab Octava Marius bibit, & fruitur Dîs
Iratis: at tu, victrix Provincia, ploras.

Ærod. *d. l. c. 21.*

XLII. Et hi effectus ex civilibus actionibus magis dimanant. Criminaliter olim in hoc delictum gravissimè fuit animadversum. Cambyses sedem, ubi per sordes injustè judicaverat Sisamnes judex, ipsius cute detracta consterni, & ibidem sedere Otanem filium Sisamnis paterno supplicio ad meliorem juris pronunciationem admonitum jussit. Darius, Persarum Rex, Sandocem Acolidis Præfectum pecuniâ corruptum cruci affixit. Alexander Severus, cùm furem unquam judicem vidit, paratum digitum habuit, quo illi oculum erueret, *ut vera eum cæcitate multaret, qui non satis habuerat ex Hieroglyphico cæcitatis Justitiæ.* Zypæus *de judice l. 1. c. 16. n. 9.* *At his temporibus*, addit Decian. *d. tract. c. 36. quot digitis opus haberet Alexander? Non sufficeret, si centimanus esset, qualem suum fingunt Poëtæ Briaréum.* Narratur etiam de Archiepiscopo quodam Coloniensi, quòd is circa annum 1056. præsidens Archiepiscopatui, cùm cognovisset aliquos judices in causa viduæ

duæ injuſtam tuliſſe ſententiam, juſſerit iis omnibus ambos oculos effodi, excepto uno, quem ipſe ex baptiſmo ſuſceperat, cui tantùm unus oculus erutus eſt, quò cœteros domum deducere poſſet: juſſerit præterea in longiorem rei memoriam majoremque transeuntium terrorem capita luto facta effoſſis oculis judicum domibus imponi. Plura vide apud Winther. *Parthen. Litigioſ. l. 2. c. 10. n. 21.* De his autem & ſimilibus pœnis quæritur, an cum juſtitia congruat, ob nummos, rem inanimatam & ex viſceribus terræ productam, hominem ad imaginem Dei conditum, eumque præ cœteris in ſublimiori conditione conſtitutum ita gravibus pœnis ſubjugari? Nos cum Sutholt. *Differt. 16. num. 37,* ita ſentimus: *Proportio illa, quæ debet eſſe inter delictum & pœnam, non ſpectat abſolutè & nudè materiam delicti; ſed habet reſpectum ad finem hunc, ut ſocietas humana ſit ſalva. Si ergo pœna ſit talis, quâ non poſſint ſatis abſterreri à delicto, non erit proportionata, quamvis alias per ſe & reſpectu damni, quod illatum eſt, ſatis ſit gravis.* Jam verò 1. is eſt primarius conſtituendarum rerum publicarum finis, ut quisq; ſuo jure frui poſſit, qui finis per tales judices maximè perturbatur. 2. Judex debet ipſius juſtitiæ exemplar eſſe & receptaculum; hîc verò ſit contrà, ut non incongruè huc applicari queat *l. 6. C. de muner. patrim. lib. X. tit.* 41. ubi ſic reſcribunt Impp. *Profeſſio & deſiderium tuum inter ſe diſcrepant: nam cùm philoſophum* (judicem) *te eſſe proponas, vinceris avaritiâ & rapacitate.* Dn. Tabor *de Metat. part. 3. c. 3. n. 6.* 3. Judicis munus eſt publicum, qui autem in publicis peccat, graviùs peccat, quàm qui in privatis. 4. Facilè evenire potuit, ut, multis perſonis graſſantibus, maleficiorum ſupplicia fuerint exacerbata. Et iis rationibus prædictas pœnas non exiſtimo à jure alienas. C. Cato duorum clariſſimorum hominum nepos L. Pauli, & M. Catonis, P. Africani ſororis filius & vir conſularis ob noſtri æris acceptos CCCCL. coronatos, quod reſpectu talis viri erat leve, repetundarum damnatus eſt, & Tarracone exulavit. Pet. Ærod. *d. lib. 9. tit. 3. c. 4.* Quin LL. XII. Tabb. capite multabatur judex arbiterve jure datus, qui ob rem dicendam pecuniam accepiſſe convictus erat, ut ex Gellio refert Menoch. *d. caſ. 342. n. 5.* Idem jus Athenis erat, ſive quis corruptus eſſet, ſive corrupiſſet. Ærod. *d. l. c. 13.*

XLIII. Mitiùs tamen & meliùs poſteriores noſtræ le-

 ges

ges pro ratione circumstantiarum pœnas irrogandas voluerunt, *l.7.§.2.de Lege Jul. repet.* Et quidem juxta eas distinguendum est inter causas civiles & criminales. In civilibus causis punitur Barattarius, juxta *Auth. novo jure C. de pœn. judic.* dati triplo, promissi duplo à fisco exigendo; dignitate simul seu cingulo amisso. Non tamen plectitur tantùm pecuniariâ pœnâ, ut existimat Farinac. *d. q.111. n.166.* sibi contrarius *n.26.* sed etiam pœnâ corporali & extraordinariâ, uti expressus textus est in *l.38. §.10. de pœn.* ubi *judices pedanei*, qui de civilibus duntaxat causis cognoscunt, *si pecuniâ corrupti dicantur, in exilium mittuntur, in insulam deportantur.* Ant. Matth. *de L. Jul. repetund. c.2. n.4.* Quod ipsum etiamnum in Praxi obtinere patet ex Carpzovio *crim. part.2. q.93. n.53.* cujus hæc inibi sunt verba: *Sic pronunciavimus Martino* Stamen in Zittaw Ist in der zwischen Euch und Eurem Nachbar wegen streitiger 100. fl. für denen Gerichten zu O. rechthängigen sachen ein Urthel von einer außländischen Universität eingeholet/ und eurem Gegenpart die zahlung zu leisten/ darinnen zu erkant worden / welches Urthel aber der Richter selbiges orths unterschlagen / und eurem Widerpart zu gefallen / von dem er sich eurem vermuthen nach / mit Gelde stechen lassen / eine widrige sentenz gefället / und benannten euren Widerpart absolviret / derowegen ihr gedachten Richter in Anspruch zunehmen vorhabens seyt. Da ihr nun solches über ihn gebührlichen außführen möchtet/ rc. So wurde er seines richterlichen Ampts billich entsetzet / und möchte hierüber mit ewiger Landsverweisung / oder auch wohl mit einer Leibes Straffe beleget werden. V. R. W. Mens. Dec. An. 1625.

XLIII. In causis criminalibus Magistratus corruptus vel ex *Auth. novo jure. C. de pœn. judic.* confiscatis omnibus bonis in exilium mittitur, vel ex L. Corn. de fals. aut ex L. Julia repetundar. quam *certissimum argumentum summæ avaritiæ Romanorum* dicit D. Hieronymus *in Esajam c.13.* & ex eo Cujacius *in C. ad L. Jul. repet.* pro admissi qualitate punitur, adeò, ut si innocentem interfici jusserit pecuniâ corruptus, capite plecti debeat, *l.7. §. ult. de L. Jul. repet.* & tum concurrit accusatio ex L. Cornel. de sicariis. Add. Damhoud. *Prax. crim. c.132. n.3.* JCtus quidem Modestinus in *l.20. de accusat.* scribit, *in repetundarum judicio, mortuis etiam reis, cum quibus nihil actum est, adhuc bona eorum fisco vindicari:* sed hanc

legem

legem mutatam autumo per *Nov.* 134. *c. ult.* quæ vetat fieri publicationem bonorum, si quidem habeant descendentes & ascendentes usque ad tertium gradum: in majestatis verò crimine veteres leges servari jubet. Cùm ergo crimen majestatis solùm excipiatur, crimen repetundarum manebit sub regula ibi proposita.

XLV. Si socius vel minister judicis Barattariam commiserit, judex in pœnam quadrupli tenetur per *l.* 1. *C. ad Legem Jul. repet.* si autem ipse in vim mandati, aut in vim ratificationis delicti quodammodo sit particeps, tum etiam extraordinariè punitur. Farinac. *d. q.* 111. *n.* 147. Hoc tamen verum, si custodes, ut dicit Paris de Puteo *de Syndic.* in verbo *Familiaris. c.* 2. *n.* 25. sint *de familia potestatis*, tum *tenetur potestas*; *secus, si erant positi à republica: quia ipsi custodes tantùm tenentur. C. de custod. reor. l. Ad commentariensem.* Quod ipsum de custodibus propter identitatem rationis in cœteris quoque ministris locum habet. Ministri autem tales tenentur L. Jul. repet. *l.* 1. *pr.* ibi. *vel cùm ex cohorte cujus eorum est. ff. de L. Jul. repetund. Nov.* 8. *c.* 7. *in fin.* etiamsi domino hi ministri adjumento fuerint in rem domini, non in suam utilitatem, cùm parentes mandato rei turpis sese obligent ad pœnam: unde Cæcilii Classici ministris aliis exilium in quinquennium est irrogatum & uni ex iis Italia in biennium interdicta. Ærod. *d. l. c.* 22.

XLVI. Quemadmodum judices eorumque ministri, ita & aliæ personæ corruptæ extraordinariè puniuntur. Legati expressis verbis continentur in *l.* 1. *pr. de L. Jul. repetund.* Athenis Legatus quidam, licèt probatissimam omnibus Atheniensibus pacem cum Rege Persarum confecisset, quia tamen in legatione munera contra ipsorum ll. accepisse visus fuerat, parùm abfuit, quin occideretur, ut ex Xenophonte refert Theodor. *crim. Disp.* X. *θ.* 1. *lit. c.* Legati Romani ad Ptolomæum missi, munera, quæ ab eo privatim acceperunt, in ærarium detulerunt. Dux Muscovitarum aufert Legatis ad se redeuntibus munera. Hermolaus Barbarus à Venetis ob accepta munera exulare jussus est. vid. Theodor. *d. l.* De similibus simile est judicium. Unde Demosthenes, cum Harpalum, qui conscientiâ scelerum, metu Regis Alexandri M. ex Asia Athenas cum ingenti pecunia profugerat, abinitio, belli vitandi causâ, recipiendum dissuaserat,

 & posteà

& postea 20. talentis argenti corruptus, dum jussus erat sententiam iterum dicere, tacuerat, & anginam excusaverat, mulctari summâ quinquaginta talentorum, atque in carcerem duci à populo jussus est: sed elapsus ipse Trœzenem fugit in exilium. Ærod. *rer. judicat. l. 9. tit. 3. c. 2.* De testibus corruptis in Nemesi Carolina *art. 64.* ita cautum est: Belohnte Zeugen seind auch verworffen und nicht zulässig/ sondern peinlich zu straffen.

XLVII. Vidimus corruptum. Corrumpens quoque, tanquam causa Barattariæ, similiter ut corruptus arg. *l. 1. C. de cupressis. L. XI.* Amadæus *de Syndic. ab init. n. 169. §. & adverte.* & civiliter & criminaliter punitur. Civiliter, dum 1. datum repetere non potest, *l. 2. §. sed si dedi. de condict. ob turp. caus.* 2. amittit causam, *l. 1. § 3. de calumniator. l. 1. C. de pœn. judic.* actor scil. actionem, reus exceptionem, *d l. 1. §. 3. l. 29. pr. de jure fisci.* Ad id tamen requiritur sententia condemnatoria, arg. *d. l. 29.* Paul. de Castr. *ad C. de pœn. judic.* 3. Sententia hoc modo pro ipso promulgata est ipso jure nulla, *l. 7. C. quand. provoc. non est necess.* 4. Competit adversus eum edictum, *quod quisq; juris &c.* 5. Notatur infamiâ, *l. 1. de his qui not. infam. l. 7. de publ. judic.* scilicet si exinde *judicij publici causam habuit, aut id crimen ex ea actione fuit, quæ etiam in privato judicio infamiam condemnato importat, d. l. 7.* quamvis potiùs hoc referendum sit ad pœnam criminalem. Criminaliter pro qualitate delicti, personarum & aliarum circumstantiarum teste Decian. *d. l. c. 39.* convenitur vel ex L. Cornel. de falsis. *l. 1. de l. Cornel. de fals.* vel L. Julia repetundar. idque pecuniariè in quadruplum, *l. ult. C. ad. l. Jul. repetund.* aut etiam extraordinariè. Unicus autem casus exceptus est *l. 1. de bonis eorum qui ante sentent.* si videlicet in capitalibus criminibus reus adversarium corrupit, quod ipsi non nocet: *nam ignoscendum censuerunt ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit.* Nec solùm corrumpens, sed etiam corrumpere tentans, etsi res effectu caruit, extraordinariè punitur, arg. *l. 1 pr. & §. 2. de extraord. crimin.*

XLVIII. Atque ita vidimus, quomodo Barattaria constituatur & puniatur: nunc videamus, quibus modis finiatur. Et quidem corrumpens liberatur, *si dicit se dedisse alicui, vel promisisse, & personam declaraverit, & hoc probaverit, Auth. novo jure. C. de pœn. judic.* unde

unde Gothofred. *in not. ad d. Auth.* dicit: *Corruptori medicina est confeßio.* Idque ideo, ut fraudes judicum detegantur, & ne per has quisque damnum accipiat. Perez. *ad C. d. t. n. 3.* Aliæ actiones & accusationes communibus modis exstinguuntur. De accipientis pœnitentia suprà vidimus. De cujus heredibus hoc saltem notandum, quòd in eos intra annum adhuc à morte corrupti in solidum detur actio, *l. 2. de L. Jul. repetund.* post annum in id, quod ad eos pervenit. Excluditur aliâs criminis hujus accusatio præscriptione viginti annorum, *l. 12. C. ad L. Jul. Corn. de falsis.* Cujac. *ad C. L. Jul. repetund.* Casus v. *l. 5. C. ad L. Jul. repetund.* spectat tantùm eò, ut ostendat, ei, qui se dicit concussum à comite domorum, ea propter anni inducias ratione pensionum fisco exsolvendarum dari, non verò in totum accusationem post annum tolli. Gothofred. *ad d. l. 5. lit. f. & t.* Dispensatur de crimine, cùm ob merita alicujus hoc crimen præponderantia venia admissi conceditur. Sic M. Aquilius, à P. Lentulo subscriptore C. Rutilio Ruffo accusatus, multis avaritiæ testimoniis convincebatur Veruntamen, quia cum fugitivis fortiter bellum gerendo multa vulnera acceperat, M. Antonius, dum pro eo perorabat, tunicam ejus abscidit, ut populus Romanus judicesque honestas cicatrices aspicerent, propterea est indubitanter absolutus, ut ex Cicerone, Quintiliano & Asconio refert Ærod. *rer. jud. l. 9. tit. 3. c. 8.*

XLIX. Affinitate huic crimini quàm maximè juncta est *concußio*, quâ etiam pecunia, sed sub terrore potestatis, extorquetur. vid. Dn. Struv. *ad tit. de concußion.* Solet ea etiam sub vocabulo Barattariæ latiùs acceptæ comprehendi, unde & quædam de ea incidenter monuimus: corruptio tamen magis passivè, concussio magis activè officialibus inest. Damhouder. *Prax. Crim. c. 132. n. 2.* Nec dissimiles illi sunt corruptis judicibus, qui, re aliqua accepta vel sibi promissa, expeditum litis eventum promittunt, *l. 10. C. de accusat.* Vocantur hi fumi venditores. Talis apud Heliogabalum fuit Zoticus, qui plurimos ita fefellit, & maximas inde sibi speravit divitias. Fuit etiam talis apud Alexandrum Severum, nomine Thurinus, qui cùm Imperatoris familiaritate gauderet, omnia sic fingendo vendiderat, ut Ale-

xandri

xandri, quasi stulti hominis, & quem ille in potestate haberet, infamaret Imperium. Qui Thurinus cùm sæpe & ab utraque parte convictus esset accepisse, jussu Alexandri in foro transitorio ad stipem ligatus, fumo apposito, qui ex stipulis atque humidis lignis factus erat, enecatus est, præcone dicente: *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Ex Lamprid. Menoch. *arbitr. quæst. cas.* 344. ubi plura possunt videri.

L. Contrarius huic vitio est justus & legitimè sibi competentibus acquiescens animus.

Præstat supellex sobria,
Rectéq; parta recula,
Quàm rapta per vim divitum
Fastidiosa copia.

Laudatu dignissima est illa vox Samuëlis, quâ se ab ullo nec bovem nec ovem sumsisse protestatur, 1. *Samuel.* 12. *v.* 5. Laudatissima etiam sunt illa Romanorum nomina, de quibus Poëta Claudianus:

-- -- -- -- -- *contentus honesto*
Fabricius parvo spernebat munera regum,
Sudabatq; gravi Consul Serranus aratro,
Et casa pugnaces Curios angusta tenebat.

Eugenius etiam Papa nullum omnino munus hominis litigantis recepit, aut cui litem crederet imminere, sed ad Priorem quendam muneribus litigaturum eleganter dixit: Nondum domum ingressus es, & jam vis corrumpere Dominum. Winther. *Parthen. litig. l.* 1. *c.* 12, *n.* 14. Idem *l.* 2. *c.* 10. *n.* 27. ait: *Memorabile, sed mihi ridiculum, boni Judicis exemplum subjungo, quod refert Marchisell. qq. pract.* 18. *n.* 5. *ex mente Petri de Palude p.* 2. *tit.* 1. *c.* 1. *quendam in Francia invenisse linguam humanam vivam, quæ interroganti respondit, se esse linguam hominis Pagani, qui diu judex fuerat & nunquam sententiam injustam emiserat, ob id Deus animam suam in illo membro servâsse, donec Baptismum reciperet. Quam cum Episcopus baptizaverat, confestim in pulverem resoluta. Videte, inquit, quàm diligat Deus judicem bonum, & malum puniat!*

LI. Hactenus ea consideravimus, quæ ad jus theoreticum

cum magis ſpectant: nunc paucis etiam contemplemur, quæ praxin magis contingunt. Occurrunt ibi primò actiones & accuſationes contra perſonas Barattariæ reas inſtituendæ. Has autem ſuprà jam vidimus; uti etiam ex jam dictis facile eſt eruere pro natura cujusque actionis, cui, adversùs quem, & ad quid unaquæque intentetur: ut verbi cauſâ querela nullitatis ſuper ejusmodi ſententia competit parti læſæ ejusque heredibus adverſus corruptum judicem & corruptorem ejusque heredes, ut ſententia declaretur nulla: accuſatio ex L. Julia repetundarum competit iis, qui aliâs accuſare poſſunt, ſervato tamen ordine juxta *l. 16. de accuſat.* Quos ipſos ad accuſandum excitant Imperatores ſub promiſſione, ſi delatum crimen approbent, quòd *victoriam reportaturi ſint, & gloriam, l. 4. C. ad L. Jul. repet.* Unde *duos Latinos Tibures civitatem adeptos fuiſſe, quòd duos Senatores Cœlium & Maſſonem accusâſſent & damnâſſent repetundarum*, refert Decian. *d. l. c. 34. n. 5.* Intenditur hæc accuſatio contra corrumpentem & corruptum ad pœnas pro diverſis circumſtantiis diverſas. Quæritur autem, ſi pars læſa ſuum intereſſe ſit conſecuta, vel etiã ex actione v. g. de calumniatoribus pœnam quadrupli; an etiam tum extraordinaria pœna adhuc poſſit infligi? Quod nos affirmamus arg. *Nov. 8. cap. 7. in fin.* & arg. *l. penult. §. 1. de L. Cornel. de falſ.*

LII. Quemadmodum actiones, ita & exceptiones competunt: inter quas primo loco obvenit exceptio recuſationis, quæ competit ei, qui juſtam ſuſpicionis cauſam habet, adversùs judicem ſuſpectum, ne ſit in illa cauſa judex. Quia autem juſtæ recuſationis cauſæ ſunt omnes illæ, quæ repellunt teſtem tanquam ſuſpectum, *Gail. 1. Obſ. 33. n. 9.* nullus in judice corrupto ſcrupulus poteſt eſſe, quin ex Barattaria poſſit recuſari. Poteſt hæc exceptio de Jure Canonico contra quemvis judicem opponi, *c. 4. ext. de for. compet.* Quod adeò verum in noſtro caſu exiſtimamus, ut ei non obſtet interveniens reſcriptum Principis cum hac clauſula, *remota recuſatione*: cùm illa tantùm ſit intelligenda de levibus ſuſpicionibus. Gail. *d. Obſ. n. 5.* Efficit recuſatio, ut poſt eam judex in cauſa ſuperſedere, nec ad ulteriora procedere debeat: aliâs proceſſus erit ipſo jure nullus. Gail. *d. l. n. 12.* Deinde etiam *nullitas* per modum exceptionis

 poteſt

potest proponi. Quæritur autem, *an tum post sententiam latam decernenda sit inhibitio?* Et distinguendum est, an nullitas sit notoria, seu quæ ex actis appareat, Gail. 1 *Obs. 77. n. 7.* an verò non sit notoria. Priori casu decernitur inhibitio, posteriori non, uti præjudicio Camerali hoc confirmat Mynsing. *cent. 4. obs. 64.* Plures species exceptionum ex loco de exceptionibus peti possunt.

LIII. Jam videndum, ubi hæc actio sit instituenda, sive quis sit locus competens hujus judicii? Lege Zenonis, cui similem quondam in Gallia fuisse refert Ærod. *rer. judic. lib. 9. t. 3. c. 4. in fin.* constitutum fuit, ut omnes Judices, Præsides quidem & consulares, nec non conrectores in metropoli, spectabiles verò judices tam civiles, quàm militares in civitatibus administratæ diœceseos post administrationem depositam quinquaginta dies permanerent, ut pateret omnibus facultas libera super furtis aut criminibus querimoniam movendi, *l. unic. C. ut omn. jud. tam civ. quam mil.* Sed mutato rerum statu & hoc mutatum est. Absoluti ergo Magistratûs corrupti, quoniam terrenum judicem neminem agnoscunt superiorem, in valle Josaphati, uti vulgò loqui amant, sortiuntur forum competens, ubi tunc de iis obtinet versiculus:

Antè fui judex, nunc judicis ante tribunal
Consistens, paveo; judicor ipse modò.

Sciant igitur & illi, *quòd non magis alios judicent, quàm ipsi judicantur, cùm etiam ipsis magis, quàm partibus terribile judicium est; siquidem litigatores sub hominibus, ipsi autem Deo inspectore adhibito causas proferunt trutinandas, l. 14. pr. C. de judic.* De Cameræ Imperialis Personis ita statutum *O. C. part. 3. tit. 53. §. fin.* Wo aber einige Parthey vermeint / oder sich auß der Revision / wie obgesetzt / befinde / daß auß Betrug oder Arglist von Geschenck / Mied / Gaab / Bitt / Freundschafft / Feindschafft / oder anderer dergleichen Ursachen wegen / ein nichtige und ungerechte Urthel gefällt und gegeben wäre / dieselbe Parthey soll in diesem Fall jederzeit sich nicht allein der Revision / wie obgemelt / zu gebrauchen / sonder auch fug und macht haben / die Urtheiler / so angezeigter gestalt gehandelt / ad Syndicatum zu stellen / und wie sich deß Orths / vermög der Recht / gebührt / gegen ihnen zu handlen: doch dergestalt / daß die Parthey / so Syndicat fürzunemmen willens / solchs unsern Ref-

sen

fen dem Ertz-Bischoff zu Meinß/ ChurFürsten/ zween Monat vor prima Maj zu erkennen geben/ darauff gedachter Ertz-Bischoff die Kays. Mayst. oder Ihrer Liebd. uñ Kays. Mayst. abwesens/ Uns als Röm. König/ auch den ChurFürsten/ Fürsten/ Prælaten/ Graffen und Ständen/ so zu der jährlichen visitation verordnet/ schreiben/ Ihrer Liebd. und Kays. Mayst. oder Uns und Ihnen solches anzeigen/ mit begehren/ Unser Commissarien/ auch Ihre treffliche/ erfahrne/ geschickte und gelehrte Räthe zu schicken/ in solcher sach vermög der Rechten zu handlen/ und die billigkeit zu verfügen/ auch den Procefs derhalben fürzunemmen/ In massen hie oben der Revision halben gesetzt/ und sich sonst nach Ordnung der Kays. Mayst. Unser und deß Reichs gemeinen Rechten zu thun gebührt. Statûs Imperii si de Barattaria conveniuntur, quando ea probata est, per Fiscalem in Camera Imperiali juxta *R. I. de Anno* 1654. §. Wann sich auch. 102. vel in Judicio Cæsareo Aulico ad pœnam adiguntur. Si in Civitatibus Imperialibus unus vel alter in Magistratu Barattariam committit, adhuc ille vel illi conveniendi sunt coram majori parte Magistratûs, uti & in reliquis causis civilibus & criminalibus fieri assolet; cùm aliud sit collega, aliud collegium. Magistratus mediatus, seu Legatus coram Domino suo proximè superiore conveniendus est: qui Dominus superior si negligens sit, So solle gegen der schuldhafften Obrigkeit so wohl/ als deren geordneten Unterrichtern gebührende Bestraffung fürgenommen/ und durch unsern Kayserlichen Fiscal zu einbringung solcher Straff/ wie sich gebühret/ verfahren werden/ ait *d. Recess. d.* §.

LIV. Circa modum procedendi (qui qualis olim fuerit, potest videri apud Decian. *d. l. c.* 51) sequentia veniunt annotanda. Primò non facilè admittuntur istiusmodi processûs, cùm simile de Magistratibus possis affirmare, quod Pontifex de præpositis Ecclesiæ, *c.* 24. *ext. de accusation. Quasi signum sunt positi ad sagittam. Et quia non possunt omnibus complacere, cùm ex officio suo teneantur non solùm arguere, sed etiam increpare: quin etiam interdum suspendere, nonnunquam verò ligare: frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. Et ideo sancti Patres providè statuerunt, ut accusatio privatorum non facilè admittatur, ne concussis columnis corruat ædificium.* Nam cùm utraque pars, quæ ad judicium

cium convolat, existimet se bonam fovere causam, una verò tantùm pars eam re vera foveat, & ergo altera necessariò fine suo proposito excidat, facilè hinc adversùs judicem contrahitur odium. Ne tamen viam justitiæ hoc in casu quis sibì præclusam conqueri jure possit, salubriter adhibetur quandoq; revisio, visitatio, ut & alia remedia, quæ proponit Dn. von Seckendorff im Teutscher Fürsten Staat / *part. 2. c. 10. n. 12.* De personis Cameræ Imperialis (ad quas optimo jure possis applicare illud Charisii in *l. unic. §. 1. de Offic. Præf. Prætor.* ubi ait: *Credidit Princeps, eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide & gravitate, ad ejus officij magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos esse pro sapientia ac jure dignitatis suæ, quàm ipse foret judicaturus*) constat, quòd, uti & in revisione fit, illi non possint syndicari, nisi priùs arctissimum juramentum à parte adversa præstetur, & deinde magna pecuniæ quantitas in casum succumbentiæ deponatur. De Statibus Imperii cautum est *R. I. de Anno* 1654. §. 98. & 99. quòd ad querelas subditorum à Camera Imperiali processûs non facilè contra eos debeant decerni, sed priùs ab ipsis Statibus literæ informatoriæ requiri. Notari insuper potest, quòd in exceptione recusationis, causa recusationis confestim in Camera Imperiali ab initio probari debeat; alioquin eam allegans incurrat pœnam Ordinationis, uti exstat præjudicium de Anno 1663. 5. Junij apud Blumium *Chiliad. Sentent. num. 933. in fin.* **Ist gegen gedachtem Dr. M. umb willen / derselbe nicht alsobald / bey anzeigung der Ursach dieser Recusation / solche bescheint / die Straff der Ordnung hiemit vorbehalten.**

L V. Probatio hujus criminis requiritur ab eo, qui judicem Barattariæ arguit, & *non* hac de re *ex rumore statuendum*, ut bene sentit Tiberius apud Tacit. *Annal. lib. 3. cap. 69.* Nam & Aristides justus à nefariis hominibus potest accusari. Decian. *dict. loc. c. 36. num. 19.* Præsumtio etiam integritatis militat pro Officialibus, arg. *l. 2. de offic. civ. judic.* tum, quia digni visi sunt, qui huic muneri adhiberentur, tum propter præstitum jus jurandum in principio officii, *& neminem Divini timoris, contemnendo jus jurandum, arbitramur immemorem, ut saluti propriæ ullum commodum anteponat,* inquiunt ipsi Impp. *l. ult. C. ad L. Jul. repetund.* cùm aliâs in genere nemo præsumatur malus, donec

pro-

probetur contrarium; Invidiosa igitur vox est illa Viviani apud Farinac. *d. quæst.* III. *num.* 263, ubi ita dicit: *De jure communi in officialibus præsumitur fraus & voracitas, præsertim in potestatibus terrarum habentibus vultum terribilem*, imò dicit *hanc non esse solam præsumtionem, sed puram veritatem*, loquens de officialibus regni Neapolis, *& quòd scit, qui scribit.*

LVI. Hoc tamen singulare est, quòd, licèt deferens judicem, qui dicit se dedisse vel promisisse, non probaverit, tamen judex debeat jurare, *quòd neque per se neque per aliam personam acceperit aut promissionem habuerit, Auth. Novo jure. C. de pœn. judic.* ibiq; Bald. vid. etiam Brunneman. *ad d. Auth.* Quod ipsum quidem mirum videri possit, cùm actore non probante reus absolvatur, neque juramento sit onerandus. Sed causam hujus singularitatis esse autumo, quòd crimen hoc sit occultum, & delitescat plerumque sub difficultate probationis; unde etiam admittuntur testes, qui aliâs essent inhabiles. Mascard. *de probat. vol.* I. *conclus.* 166. *num.* 3. Si tamen agatur ad pœnam extraordinariam infligendam; requiruntur *idonei testes, vel apertissima documenta, vel indicia ad probationem indubitata, & luce clariora, l. fin. C. de probat. c.* 31. *ext. de Simon.* Prædictum jus jurandum si sit præstitum, liber erit judex; à deferente autem, qui ostendere non potuit, in causa pecuniaria æstimatio litis exigitur per Comitem rerum privatarum, seu cogitur tantùm fisco inferre, quanti res est, de qua lis mota fuit. Perez. *ad C. dict. tit. num.* 1. In criminali causa, bona omnia confiscantur. Sed si persona à litigatore manifestata recusat jusjurandum, memoratis pœnis adhuc subjacet. Si quis verò litigantium juraverit, se non dedisse vel promisisse, si intra decem menses post sententiam memoratam ostendatur dedisse vel promisisse, dictis pœnis æquè & dantes & accipientes subjiciuntur, *d. Auth.*

LVII. Ex loco præsumtionum notari potest, quòd ipso jure præsumatur aliquid acceptum esse: 1. si Proconsul ante se Legatum suum de provincia dimittat, *l.* 10. §. 1. *de offic. Proconf.* 2. Si Senator navem maritimam habeat, *l.* 3. *in fin. de vacat. mun.* Sed hæ duæ præsumtiones apud nos locum vix invenient, cùm Proconsulatus non ampliùs inveniatur, & mercatores æquè, ac alii, ad magistratum admittantur

tur, indignante licèt Lipsio in *Polit. l. 3. c. 6. n. ult.* Quo ipso tamen infensiùs adhuc mercatoribus obsistere videtur *c. ejiciens.* 11. *distinct.* 88. cui textui nihilominùs satisfit per subjectam statim inibi annotationem. 3. Si *in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publicè dandum, præbendum, sarta tecta tuenda, antequam perfecta, probata, præstita lege erant, l. 7. §. 2. de L. Jul. repetund.* Dn. Struv. *Disp. Crim.* 10. *num.* 4. Nec innocentiæ præsumtio est, quòd accusatus ipse alios de eo crimine accusaverit. P. Oppium avaritiæ in Bithynia exercitæ reum fecit M. Cotta, qui huic suffectus à Cajo Carbone ejusdem criminis convictus est, & hic ipse à Cotta Filio. Ærod. *d. l. c.* 9.


LVIII. Refert idem Ærodius *c.* 22. quòd notati sint Cleon & Themistocles, quia, cùm in tenuibus facultatibus ad Rempublicam accessissent, ille rem quinquaginta, hic centum talentorum heredibus reliquisset. Quæstio hinc emergit, an qui pauper ad Magistratum accesserat, si postmodum ad lautiorem fortunam adspiret, nec appareat, unde hæ divitiæ provenerint, an præsumatur talis persona eas ex Barattaria esse nacta? Quod ipsum, nisi aliæ conjecturæ simul adsint, negandum existimo ex generali præsumptionum indole, quæ ad melius in dubio fertur: & uti sunt arcana regni, quibus regnum amplificatur; ita etiam sunt arcana domûs, quibus res familiaris augetur, eaque aliis manifestare non tenemur. In Themistocle tamen, quia is esculenta & potulenta sibi oblata improbato modo vendidit, & ita publicè cupidum suum quaqua vià rem faciendi animũ ostendit, & similibus præsumptioni Barattariæ locum esse arbitror. Cætera ex materia probationum & præsumtionum facilè possunt suppleri.

Et hæc pro ingenii tenuitate de hac materia afferre visum fuit. Clausulæ loco, quam principio sui tractatûs *de arbitrariis judicum quæstionibus* præfixit *Menochius*, subjungam Impp. Leonis & Alexandri constitutionem, quæ inter Constitut. Imperator. ab Enimundo Bona-

fidio

fidio interprete versa exstat, & sic sese habet: *Existimo equidē eorum neminem, qui judiciario fungitur munere, eò unquam stuporis aut inscitiæ proruputurum, ut aliter, quàm ex præscripto legum, judicium sententiamvé ferre audeat. Quod si quis in tantam evaserit dementiam, reus peractus, eas dependet pœnas, quæ legibus irrogatæ. Sin fortè nos effugerit, non pervigilem tamen atque insomnem oculum; cui nihil non, quantumlibet occultum sit, patere poterit. Tametsi id ipsum imprecationibus quoque dirisq; exsecrationibus stabilire ac firmare non ab re alienum censuimus. Inveniat itaque iste & Deum & cœlestes omnes atque incorporeas potestates sibi nunquam non adversantes, immaturè ex hac vita excidat potiùs, quàm excedat. Incommodis insuper afficiatur perpetuis. Ipsius ædium fundamenta ignis tandem devoret, & posteritas eò redigatur inopiæ, ut panem ostiatim quæritet. Atque hæc jure sanè optimo, quòd leges, quas liberrimas esse oportuit, servas quodammodo atque captivas effecit fictorum pravorumq; judiciorum.*

COROL-



COROLLARIA

Continentia casûs, quos enodandos proponit

Dn.

HARSDORFFER in Schauplatz lustiger und lehrreicher Geschicht/ sub N. LXXXI.

Cas. I.

Rustico vulpes gallinam eripuerat, hanc venator explodendo sclopetum à vulpe consequitur; cùm rusticus peteret gallinam, oblato etiam pretio istius explosionis sclopetariæ, nolletque venator restituere, quærebatur, utrùm ejus facta sit gallina, qui eripuit, an

l. 44. d. A. R. D. rustici manserit? *Nam genere quodam venandi eam nactus erat* venator, & *quemadmodum terra mariq; capta, cùm in naturalem suam laxitatem perveniunt, desinunt eorum esse, qui ceperunt: ita ex bonis quoque nostris capta à bestijs marinis & terrestribus, desinunt nostra esse, cùm effugerunt bestiæ nostram persecutionem. Quis denique manere nostrum dicit, quod avis transvolans ex area aut ex agro nostro transtulit, aut quod nobis eripuit? Si igitur desinit, si fuerit ore bestiæ liberatum, occupantis erit, quemadmodum piscis, vel aper, vel avis cùm potestatem nostram evasit, si ab alio capiatur, fit ipsius. Sed puto potiùs, manere illius* rustici *tamdiu, quamdiu reciperari possit, licèt in avibus*

& pisci-

& piscibus verum sit, quod scribitur. Gallinarum enim *non est fera natura*, & *licèt conspectum nostrum fugerint, quocunque tamen loco sunt, nostræ esse intelliguntur. Si igitur manet, arbitror furti etiam competere actionem. Licèt enim non animo furandi* venator *fuerit persecutus, quamvis & hoc animo potuerit esse, sed etsi non hoc animo persequutus sit; tamen, cùm reposcenti non reddit, supprimere & intercipere videtur. Quare & furti & ad exhibendum teneri eum arbitror, & vendicari exhibitam ab eo* gallinam *posse*. §.16. Inst. d. R. D.

CAS. II.

Profecturus quidam gallinas suas elegantioris formæ amico demandat alendas, cum donatione ovorum pro hac custodia, & cum promissione refundendi statim sub reditu pretii in alimenta consumti. Eo absente magna oritur annonæ caritas, ita ut pretium alimenti in gallinas impensi bis vel ter pretium ipsarum gallinarum exsuperet. Reversus postea Dominus pro frumento plus exsolvere renuit, quàm illud constitit tempore sui discessûs, offerendo pro impensis ipsas gallinas. Quamvis itaque *in causa mandati etiam illud vertatur, ut interim nec melior causa mandantis fieri possit, interdum melior, deterior verò nunquam; commodissimè tamen illa forma in mandatis servanda est, ut, quoties certum mandatum sit, recedi à forma non debeat; at quoties incertum vel plurium causarum, tunc, licèt aliis præstationibus soluta sit causa mandati, quàm quæ ipsi mandato inerant, si tamen hoc mandatori expedierit, mandati erit actio.* Certum igitur mandatum de alendis gallinis mandatorem nostrum in solidum mandati obstringit. l.3.pr. mandat. l.46. mandat.

Cas. III.

Piſcator ſcapham ſuam in ripam deducit, non tamen alligat. Molitoris aſinus aquandus, ob turbidam in ripa aquam, conſcendit illam ſcapham, eámque ita commovet, ut vi fluminis abrepta peſſum iverit, ipſeque aſinus ſubmerſus fuerit. Piſcator ſcapham à molitore, molitor aſinum à piſcatore poſcit. Et quanquam piſcator in non alliganda ſcapha negligens fuit, talis tamen in ſua re, ſuo jure, fuit.
l.21 C. mandati. Nullo autem jure molitor permiſit aſino ſuo, ut ſcapham alienam commoverit, & ita damnum dederit rei piſcatoris. Tantùm ergo abeſt, ut aſinus, quem ſuâ culpâ amiſit, molitori à piſcatore debeat reſtitui, ut potiùs ipſe ex Lege Aquilia de ſcapha piſcatori teneatur.

Cas. IV.

Italus Genuâ inſtitori ſuo in Hiſpania per literas, Italico ſermone, 102. ſimias ſibi tranſmitti mandat. Hiſpanus plures venales non reperiens, tranſmittit ſolùm 53. Genuenſis pretium harum ſolvere recuſat, prætendens ſe unam aut duas ſimias tantùm mandaſſe ſibi coëmi, cùm o Italicum ſit idem, quod *aut* Latinis, facileque ſuam hanc mentem ab Hiſpano potuiſſe conjecturari.
l.34. de R.J. arg. l.39. de pact. Licèt igitur primò inſpiciendum ſit, qua mente quid actum; tamen ſi de eo non ſatis conſtat, mandatum obſcurum aut ambiguum nocebit ei, in cujus fuit poteſtate apertiùs ſcribere. Potuit autem hoc Genuenſis ſcribendo vel expreſſis verbis ſine numeris; vel cum numeris ita 1 ove 2; vel adhuc ita 1, o 2. Mandati igitur actio ab eo non enervatur.

Cas. V.

Mercator gregem per mare transportandum navi